



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

Capita Libri VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916


INSTRVCTIONIS
SACERDOTVM,
LIBER VI.
 De præceptis Ecclesiæ.

*De Ieiunio. Quid sit Ieiunium, & quotu-
plex sit.*

CAPVT I.

DOSTQVAM decalogi præcepta absolutimus, oportet præcepta Ecclesiæ breuiter explicare, & à Ieiunio initio sumpto, quid Ieiunium sit, exprimendum est. Videtur autem sic posse vniuersaliter definiti, *Ieiunium est abstinencia ab his, quæ gustu percipiuntur.* Cuius definitionis duæ sunt partes.

Altera est, *abstinencia*, id est, actio seu priuatio quædam. Altera est, *ab his, quæ gustu percipiuntur*: priuatio enim gustabilium, Ieiunium dicitur. Aduertendum est, tria esse genera gustabilium, seu eorum, quæ gustu percipiuntur. Quædam dicuntur cibi, & hæc sunt, quæ sumuntur ab hominibus in corporis nutritionem; quædam dicuntur potus, & hæc sunt, quæ sumuntur ad sitim sedandam: potus enim sicut, cibus fami opponuntur. Quædam sunt medicina, quæ sumuntur ob infirmitatem aliquam vitandam, aut expellendam.

Aduerte rursus, quod ista sunt distinguenda per fines ipsos, ad quos ex se ordinantur: aliquando enim medicina nutrit, qualia sunt multa electuaria; tamen, cum non ob nutritionem, sed ob infirmitatem sumuntur, non dicuntur cibi. Rursus, potus, multi etiam nutriunt, ut vinum, & certissima,

tamen

tamen quia contra sitim ex se sumuntur potus dicuntur, sicut aqua, quae non nutrit. Rursus aliquando potabile aliquod inter cibos computatur, quia communiter in cibum, non in potum sumitur, vel lac, mel & alia huiusmodi. Est igitur ieiunium priuatio quaedam horum, aut omnium, aut aliquorum. Attende autem, quod non quæuis priuatio horum est ieiunium, sed tunc est, cum non intra fauces sumuntur: si enim quis ita deglutiat, non gustando, ieiunium non est; ac si gustet solum lingua, aut palato, non tamen deglutiat, non soluit ieiunium. Vnde eo qui gustantes cibos in die ieiunii, vt cōdians imò carnes, dummodo nihil intrò sumant per modum cibi, non soluunt ieiunium: nec soluit Sacerdos, qui oblitus celebrationis futuræ, incipit cibum mordere, tamen nihil adhuc deglutiuit: potest enim celebrare ieiunus, emittens cibum ab ore. Tamen semel sumptus cibus interiùs, quamuis euomat, soluit ieiunium.

Ieiunium sic in genere definitum, triplex est, naturale, ecclesiasticum, metaphoricum, seu spirituale. Naturale est perfecta abstinentia ab illis tribus gustabilibus, cibo, potu, medicina modo quodam. Dicitur est, a principio diei computatione facta: dies autem, vt statim dicemus, à media nocte præcedenti, vsque in mediam noctem sequentem durat.

Ille ergo est ieiunus naturali ieiunio, qui, à media saltem nocte, nihil adhuc deglutiuit. Istud ieiunium est necessarium ad celebrandam missam, ante celebrationem: similiter ante communem; nisi cum ob infirmitatis necessitatem fit: vnde qui vel potum, vel medicinam sumpsit post mediam noctem, non debet celebrare illo die sequenti.

Ieiunium verò ecclesiasticum, est *abstinentia voluntaria à cibo, iuxta Ecclesie ritum*. Dixi, *abstinentiam voluntariam*; nam ieiunium est actus virtutis, qui liber est, & voluntarius. Dixi à cibo, nam potus, quamuis sit vinum, non soluit ieiunium, siue sumatur ante prandium, siue post, dummodo, vt diximus, potus sit: nam lac siue ante prandium, siue post, soluit ieiunium, quia per modum cibi communiter sumi solet. Rursus, nec id, quod sumitur per modum medicinæ soluit ieiunium hoc, vt potiones, & pharmaca; imò licet nutriant, cum ob infirmitates sumuntur: vnde, non soluunt ieiunium, qui ob stomachi debilitationem, vel ob capitis dolorem manè aliquid cibi sumunt; similiter, qui negotiaturi sunt, vel lecturi in mensa, vel dilataturi prandium ob aliquam causam;

deni-

denique, qui per modum medicinæ, aliqua rationabili causa existente, aliquid sumunt. Hac etiã ratione dicit Syl. verbo, ieiunium, posse aliquem, cum bibit interdium, aliquid sumere per modum medicinæ, ne noceat. Ad hoc reducitur id, quod faciunt Architrachini: degustant enim parum cibi, antequam dominis porrigant, & tamen secundum Caiet. ver. ieiunium, non solvunt propter hoc ieiunium; nec enim per modum cibi proprii sumunt, sed per modum probationis cuiusdam, ob necessitatem officij sui.

Dixi rursus in definitione, *iuxta ritum Ecclesiæ*: nam sunt certæ quædam conditiones in tali abstinentia observandæ, ut sit ieiunium ecclesiasticum, de quibus dicemus c. sequenti. Ieiunium autem spirituale est per metaphoram ad huiusmodi ieiunia; affectiones enim, & cogitationes sunt cibus animæ. Cum ergo anima cessat à cogitationibus, & affectionibus, ieiuna est; & si tales sunt malæ, bonum est ieiunium, si bonæ, malum est ieiunium. De Ecclesiastico ieiunio est in prædicti sermo.

Quis finis Ieiunij, & qualis modus sit.

CAPVT II.

Ieiunij finis triplex est.

Primus refrænare carnis concupiscentias: maxime enim carnis furor temperatur per cibi subtractiones, iuxta illud commune dictum, *sine Cerere, & Baccho friget Venus*. Hinc consultiſſime Ecclesia, præcipuum ieiunium, quod est in quadagesima, instituit in principio fere æquinoctij hyemalis: tunc enim ex solis accessu, caro incipit vigere, & sanguis feruere, & consequenter corpus spiritibus, qui multum ad luxuriam prouocant, repleti, quod aues continuo suo garrula ostendunt, & anima suo motu, & inquietatione. Debent ergo iste nostræ carnis furor, hoc præcipuo tempore, ieiunio temperari.

Aliiter finis est, diuinorum contemplatio. Corpore enim plenus cibus, non potest mens libere vacare contemplationi diuinorum; ob id, instituta sunt aliquot vigiliae Sancto-um, & festorum, in quibus ieiunium præcipitur, ut mens possit melius solennitatibus vacare.

Ter-

Tertius est, satisfactio pro pœnis peccatorum; quamuis enim culpa peccati remittatur per contritionem, & per sacramenta, tamen sæpè non remittitur tota pœna, sed manet obligatio pœnæ temporalis in Purgatorio soluendæ, nisi in hoc mundo satisfactio fiat: quia autem cognoscit Ecclesia, illas pœnas esse nimis graues, & posse peccatorem in isto mundo leui pœna satisfacere pro peccato, quod grauissima non satisfaceret pœna in Purgatorio, instituit hoc ieiunium, quod est pœnale, in pœnarum peccatorum satisfactionem; maximè cum satisfactio huiusmodi in hoc excedat satisfactionem Purgatorii: non solum, quia leuior multò est, sed quia, cum in gratia sit, est meritoria gratiæ augmenti, & gloriæ, quod non habet satisfactio Purgatorii, vbi iam cessat merendi tempus. Hos ieiunij fines explicat Ecclesia, in Missæ præfatione, *Corporali*, inquit, *ieiunio vltia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & premia.* Nunc autem modus, quo ecclesiasticum ieiunium fieri debeat, considerandus est.

Est autem duplex modus.

Vnus intrinsecus, qui necessarius est, vt sit ieiunium.

Alter est extrinsecus, qui non quidem est necessarius, vt sit ieiunium, sed vt benè, & perfectè fiat. Modus intrinsecus consistit in substantia ciborum, à quibus abstinendum est, & in quantitate, & in tempore.

Circa substantiam ciborum, abstinere oportet à carnium esu, & ab ouis, & lacticijs, & quæ ex lacte fiunt: ista enim sunt, quæ carnem multum roborant. Est tamen duplex differentia inter carnes, & lacticia, & oua.

Prima est ex S. Tho. 2. 2. q. 147. art. 8. ad tertium, in omni ieiunio cauendum est ab esu carniùm vniuersaliter, at verò à lacticijs, & ouis, non nisi in quadragesima: nisi consuetudo etiam fuerit in illis locis, abstinere ab his omnibus in reliquis ieiunijs. Vult dicere S. Thomas posse esse consuetudinem vescendi lacticijs in alijs ieiunijs, præter quadragesimam, & excusantur homines, tamen non possunt excusari, nec est ieiunium, si vescantur carnibus. Nauar. c. 21. nu. 13. dicit etiam posse excusari consuetudinem lacticioꝝ in quadragesima, quando à quadraginta saltem annis est præscripta: quòd si nulla esset, consuetudo, nec vescendi illis, nec abstinendi, vt in terris Indorum, in quibus de nouo fides viget, tunc posset concedi istis in aliquib. diebus, præter quadragesimam: nam prohibitio hæc in consuetudine fundatur.

Aaa

Altera

Altera differentia est Caiet. eadem q. art. 7. & Nauar. c. 21. nu. 25. quòd cum dispensatur alicui, vt vescatur lacticijs, non ob id liber est à præcepto ieiunij; cum verò dispensatur in carniũ esu, non, tenetur ieiunare.

Circa quantitatem: nota esse quantitatem continuam, quæ consistit in multo, & pauco; & esse discretam, quæ consistit in pluralitate manducationum. Dico, quantum ad discretam, semel esse in die prandendum, seu manducandum; qui verò pluries manducat, soluit ieiunium, nisi inaduertenter id faciat. Aliquando enim accidit, quòd aliquis non recordatus diem ieiunij esse, ientaculum solitum sumit, hic ieiunium non soluit, & tenetur ieiunare, ac si nihil sumpsisset. Aliquòd etiam, aliqua de causa, prandium diuidere licet, absque solutione ieiunij, vt cum quis in medio, impeditus negotio aliquo, non potuit ipsum perficere, potest, cum vacauerit, absolueret, adhuc ieiunio saluo: non tamen, propter hanc vnitatem prandij, intendimus auferre, quas nostri vocant collationes: licet enim olim tantum per modum medicinae sumerentur, quia prandium prope noctem fiebat, tamen iam consuetudo probata obtinuit, vt etiam aliquid per modum nutritionis sumatur, & dicit Caiet. v. ieiunium posse fieri cum pane. Nauar. c. 21. num. 12. addit posse similiter cum pane sumi vnum, aut duo genera fructuum, dum modo non sit tanta quantitas, vt potius cœna sit, vt statim dicemus.

In continua autem quantitate prandij, non est certa mensura ratione ieiunij, sed quamuis aliquis multum excedat, non ob id soluit ieiunium, peccat tamen contra sobrietatem. Regula ergo debet esse sobrietas, sicut quando non est ieiunium: licet tamen tempore ieiunij, aliquid plus accipere in prandio, dummodò prædictus seruetur modus. In collatione vero est mensura: non debet enim esse tanta, vt potius sit cœna: tunc enim solueretur ieiunium. quanta tamen debeat esse, consideranda est consuetudo communis patriæ, quæ viget communiter apud homines bonos, & timoratos: non enim est peccatum mortale, talem consuetudinem seruare, licet quantitas sit aliquantulum grandis: tamen Armilla, ver. ieiunium. s. 2. probat collationes, quæ fiunt Romæ secundum consuetudinem tinelli, ob consuetudinem, & quia Pontifex tolerat, cum sciat: nec ego auderem damnare, quamuis misti sint abusus hominum parum timoratorum. Qui profectò cenam lauram, nò collationem faciunt, hi non sunt vllò modo probandi. Atque

hic

hic est modus in quantitate. Modus in tempore est, ut prandium fiat solito tempore. Olim fiebat hora nona, tribus horis post meridiem, sed iam hoc abolitum est: communiter enim solent homines prandere per horam, aut duas ante meridiem. In hoc consuetudo communis loci est seruanda, cum homines illius loci communiter prandere solent. Potest anticipari hora, iusta causa; ut, quia aliquis facturus est iter, vel hospites habet, vel negoria expectat, quæ impediunt horam prandij, & sic excusantur famuli, qui ante tempus prandent, ut possint ministrare postea dominis, quamuis isti possint, cum dilaturi sunt prandium, aliquem cibum sumere, ut possint facilius sustinere, moderatum tamen, ut dicit Gabr. 4. dist. 16. q. 3. Qui autem sine causa horam prandij anticipant solitam, Nauar. c. 21. num. 27. putat peccare mortaliter, sed ego credo peccare venialiter: & ita dicit Alex. 4. p. q. 103. memb. 3. & Inno. rubr. de obseru. ieiunij, dummodò id in contemptum ieiunij non fiat. Hic tamen nota, esse aliquos, qui collationem nocturnam faciunt mane, & prandium differunt: quod Caiet. v. ieiunium, & Nauar. num. 12. non probant, nisi aliqua causa rationabilis id exigat, quia nõ est consuetudo, nisi tempore noctis, illam collationem facere; & ego ita credo: sed puto, licet non esset causa rationabilis, solum esse veniale. In his tribus dictis, substantia, quantitate, & tempore, modus internus ieiunij consistit. Externus autem modus, in gratia, & charitate est, sine qua nullum opus bonum valet ad vitam æternam consequendam: vnde consilium laudandum est, in principio Quadragesimæ confessionem præmittere, qua homo gratiam, que amissa est, recuperat, ut ieiunium sit validum: non tamen dicat quis propterea, ergo, si in peccato sum, nolo ieiunare; decipietur, qui hoc dixerit: nam ieiunium hominis in peccato existens, licet non sit meritorium vitæ æternæ, valet ad multa.

Primò, ne nouum peccatum mortale committat contra obedientiam Ecclesiæ exhibendam, quæ præcipit ieiunium.

Secundò, quia adhuc carnis concupiscentia frænatur.

Tertiò, quia homo assuefit bono operi, ne postea in gratia existens tantam habeat difficultatem.

Quartò, quia a Deo impetrat facilius peccator penitentiam, & cordis contritionem. Nullus ergo, quamuis se peccatorem cognoscit, à bono opere vacare debet.

Quando fit ieiunandum, & qualis obligatio.

CAPVT III.

Ieiunia communia populo Christiano sunt hæc, quadragesima, quatuor tempora, vigilia Natiuitatis, vigilia Pentecostes, vigilia Assumptionis Beatissimę Virginis, omnium Sanctorum, & vigilia Apostolorum Petri & Pauli, vigilia S. Ioannis Apostoli, & Philippi & Iacobi, quę est inter Pascha, & Pentecosten, vigilia Sancti Ioannis, & S. Laurentij. Vltra hæc sunt aliquot particularia in locis aliquibus obligantia. Hęc omnibus nota sunt. At circa obligationem aduent, esse distincta ista tria, præceptum ieiunij, præceptum abstinendi à lacticijs, & ouis, & præceptum abstinendi ab esu carniũ. Ista autem distinctio consistit, seu percipitur in multis.

Primò, in eo, quòd præceptum ieiunij includit alia: cum ieiunio enim lacticia, & caro prohibentur, nisi, vt diximus, consuetudo excuset à lacticio. At verò non contra frangit, quando enim prohibentur caro, & lacticia, tamen non est ieiunium, vt in dominicis quadragesimę. Aliquando etiam prohibetur caro, non tamen lacticiũ, vt in diebus veneris communibus, & Sabbatis intra annum.

Secundò cum dispensatio fit, aut excusatur aliquis à ieiunio, non statim liber est ab alijs, vt iuuenes, qui ante vigesimum primum annum non tenentur ieiunare, tenentur tamen obseruare alia duo. Similiter multi alij à ieiunio excusati. At verò qui dispensatur in carne, dispensatur in alijs duobus: nec enim tenetur ieiunare, nec abstinere à lacticio. Qui verò in lacticio dispensatur, non ob id in ieiunio, aut in carne dispensatur, sed ieiunare & abstinere debet à carnibus, nisi alia adsit causa.

Tertiò, præceptum abstinentiæ à carnibus, est vniuersalissimum; comprehendit enim pueros ante annos discretionis. Lacticia similiter non prohibentur pueris ante annos discretionis, prohibentur tamen ante vigesimum primum annum post quem obligat ieiunium.

Quartò, qui semel soluit ieiunium, non tenetur illo die ieiunare, nec nouo peccato mortaliter peccat, quamuis pluries comedat, nisi in contemptum ieiunij id faciat: ita tenet Duran. 4. dist. 15. 4. & Tabien. Syluest. verb. ieiunium, contra aliquos. At

verò

verò peccat mortaliter toties, quoties in die vescitur cibus prohibitis, carne, aut lacticio, quia ista præcepta sunt negatiua de non comedendo, quæ franguntur, quoties comeditur, & præceptum ieiunij est affirmatiuum, & semel fractum, non potest illo die iam seruari; sic nec nouum mortale committit, qui de nouo vescitur, sicut de carne, ac lacticio, vt tenet Nauar. num. 25. Sermo igitur est de hoc præcepto ieiunij, quod, secundum omnium Sanctorum Doctorum sententiam, obligat sub mortali peccato. Ita habet S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 3. & alij omnes: consuetudo enim Ecclesiæ est talis, vt sub mortali ieiunium sit obseruandum. Aduerte tamen, obligari hominẽ, non solum præcepto hoc ecclesiastico, sed & præcepto diuino ieiunare, cum aliter non potest prouideri salutis spiritali: nam qui periculo se exponit peccandi mortaliter, nisi ieiunio frangat carnem, ieiunare tenetur diuino præcepto, & hoc obligat omnes cuiuscumque ætatis, & conditionis, & quocumque tempore, licet sit dies dominicus: tenetur enim abstinere, quantum necessarium est, pro salute spiritali, licet non sit ieiunium eodem modo quo Ecclesiasticum obseruandum: nam si non potest prouidere sibi, vescendo carnibus moderatè, aut abstinendo à vino, tunc ad id solum tenetur. Aliquando etiam tenebitur aliquis ieiunare in pane & aqua, si opus est. Tenetur aliquando homo ieiunare ratione alicuius voti facti: aliquando ratione pœnitentiæ impositæ à Confessario, & aliquando pro salute corporali. Nam dietas necessarias salutis corporum, sine quibus manifestè periclitatur corpus, obseruare tenetur, prout expedire cognouerit, licet non teneatur obseruare, quando non sperat nocumẽtum notabile: loquor enim de peccato mortali.

Qui excusentur ab obligatione ieiunij Ecclesiastici.

CAPVT IV.

Multæ sunt causæ à ieiunio Ecclesiastico liberantes homines; mihi ad quatuor capita reduci posse videntur, quæ sunt hæc, infirmitas, paupertas, labor, pietas. Infirmitas a Gabr. 4. dist. 16. q. 3. distinguitur, quadrupliciter: est enim infirmitas languoris, complexionis, ætatis, & conditionis.

Infirmetas languoris est, cum quis morbo aliquo laborat, & hic excusatur à ieiunio; vt febrim, aut morbum alium patientes.

Infirmetas complexionis est, cum quis facile in morbum labitur, vt valetudinarij: similiter qui inedia statim in dolores vehementes capitis, aut stomachi incidunt, similiter, qui ita debiles sunt, vt non possint vnico prandio necessarium victum accipere, sed indigent frequenti cibaione. Infirmetas ætatis est, cum nondum est vigesimus primus annus completus: secundum enim communem sententiam, ante vigesimum primum annum completum non obligat ieiunium Ecclesiasticum, quia tunc indigent adolescentes cibo aduentionem, & augmentum, licet sanctum consilium sit, affuerint iuuenes hos aliquibus ieiunijs: similiter, senes post septuagesimum annum, secundum communem sententiam, excusantur, licet in hoc non sit regula certa: aliqui enim senilem contrahunt debilitatem ante sexagesimum, aliqui robusti sunt etiam post septuagesimum, vt plurimum tamen septuagesimus annus excusat.

Infirmetas conditionis est in mulieribus grauidis, & lactantibus: quæ quia indigent cibo pro se, & pro foetu, secundum communem sententiam liberæ sunt à ieiunio, sed non à qualitate ciborum, licet medici possint licetè vsum lactationum ipsis concedere.

Secunda causa erat paupertas: cum enim aliquis non potest habere vnum cibum integrum, vt isti, qui elemosinam ostiatim petunt, & modò hic parum cibi, modò illic parum habent, non tenentur ieiunare; secus si vnum possent habere integrum, & sufficiens prandium. Eodem modo excusantur secundum Gabr alij, licet nõ ostiatim petant, qui propter paupertatem, miserum prandium, & insufficiens habent; possunt cœnare, & interdum comedere.

Tertia causa excusans, est labor: labor enim corporeus macerans, & defatigans notabiliter corpus excusat, propter quod fossiores, messorum, aratores, seminatores, fabri lignarij, ferrarij, & oēs alij, vt lapicidæ, cursores, iter facientes pedes, & vt dixi, omnes huiusmodi laborantes excusantur à ieiunio, sed non sutores, & qui vestes faciunt, & alij huiusmodi artifices, qui non multum corpus exercent, à ieiunio excusantur. Aduertendum tamen, laborem hunc excusare, cum prouenit ex vna trium causarum.

Prima est, cum labor competit alicui ex officio: qui enim ex officio huiusmodi labores habent, excusantur, licet diuites sint: non enim tenentur cessare à labore, ob ieiunium, & ita concessum est ab Eugenio in bulla quadam, cuius meminit Sylu. verb. ieiunium, §. 24. quòd diuites laborantes non teneantur ieiunare. Quòd si ex officio non habetur, excusantur, cum id faciunt in utilitatem Reipub. aut communitatis; vt qui tempore belli iuuant ad fabricas, vel muros construendos, quamuis id ex officio non habeant, soluuntur à præcepto ieiunij, si forè tunc temporis occurrat, quia in utilitatem communem talis labor est. Quòd si nec hoc modo sit, excusantur, & cum est ad vitandum damnum proprium, vel proximi temporale, & multò magis spirituale. Et sic excusantur qui tempore ieiunij laborant, vel extinguendum incendium in re propria, vel proximi; vel ad aliud opus corporale faciendū, quod nisi fiat, inducit damnum. His causis labor huiusmodi excusat à ieiunio.

Quarta causa excusans est pietas, nempe officia spiritualia, & opera misericordiae, quae cum ieiunio esse non possunt, vt concionari, legere, & secundum Caiet. confessiones audire, inferuire hospitalibus, peregrinari per loca pia. Nota tamen, quòd huiusmodi non excusantur, nisi cum ex officio fuerit, aut ex obedientia, aut ex voto aliquo præcedente. Sylu. verb. ieiunium, §. 26. dicit, quòd cum conciones alicuius sunt multum viles populo, possent excusari à ieiunio, licet sine obligatione vili, sed ex propria deuotione faceret. Adde etiam quòd isti, qui in vniuersitatibus legunt, non ex officio, sed ad sui notitiam, & opinionem comparandam, possent legere, & excusari à ieiunio, cum detrimentum illis obueniret, nisi lectiones continuarentur. Circa peregrinationem autem omnes notant, non licere peregrinari tempore ieiunij, & ieiunium soluere, nisi cum ex voto peregrinatio est, nec potest commode differri in aliud tempus. Addit Nauarr. num. 19. posse fieri, cum ex deuotione aliqua magna fit; sed vt credo, non licet absque consilio Confessarij, iudicantis plus spiritui profuturam peregrinationem, quam ieiunium. Licet etiam peregrinari die ieiunij, ad vitandum detrimentum temporale aliquod; puta, cum habet socium viæ, quem amittet, nisi iter illo tempore conficiat, aut cum timet aliquod periculum. Excusatur & à ieiunio, qui non potest reddere debitum vxori ieiunando. Rursus excusatur vxor, quae ad vitandas

rixas, & odia cum marito, cœnat cum ipso, & ieiunium soluit, ita dicit Tabien. verb. ieiunium, §. 20. & Syluest. §. 13. sed intellige, cum maritus non facit id in fidei contemptum, tunc enim potius est subeunda mors; quod potest accidere modo, cum maritus Lutheranus est, & vxor Catholica, atque ille peit ieiunium solui, in fidei contemptum, tunc non est villo modo acquiescendum. Hæ sunt causæ excusantes. Erga quas, duo vniuersaliter sunt consideranda.

Vnum est, cum quis habet aliquam causam dubiam, an excuset vel non, tunc debet petere declarationem, vel à Confessario, vel à viro docto, vel à medico, vel à superiore, puta Episcopo, vel prælato: hi enim duo possunt cum subditis dispensare in ieiunio, cæteri dicti, declarare. Aduertant autè medici, ne sint prodigi in hac parte, cautè enim debent perperdere causas, & non quauis leui causa concedere facultatem, seu declarare causam sufficientem, ad soluendum ieiunium, aut vtendum cibis prohibitis.

Alterum est, cum pœnitens bona fide putat se habere causam sufficientem non ieiunandi, licet verè non sit sufficientis, solum venialiter peccat, nec debet à Confessario statim damnari de mortalium: nec debet illum à sua fide, & conscientia deponere, sed solum exhortari, vt experiatur ieiunare. Ita docent Anton. 2. p. tit. 6. ca. 2. Palud. 4. dist. 15. q. 4. art. 1. Caiet. 2. q. 147. art. 3.

De obligatione ieiunij respectu aliorum.

CAPVT V.

Aliquando homo non solum obligatur ieiunare, sed etiam, siue ieiunet ipse, siue non, aliorum ieiunio attendere; & peccat, quia alij non ieiunant. Est autem regula: quoties aliquis est causa, vt alij ieiunium soluant, qui aliter tenebatur ieiunare, peccat, ac si non ieiunaret. In particulari autem sunt iuxta istam regulam casus aliqui.

Primus est: qui habet seruos, aut famulos, & cogit illos laborare aliquo die ieiunij ita, vt non possint implere ieiunium, peccat mortaliter, nisi labor ille non possit differri in alium diem, quin damnum alicuius momenti obueniat, tunc enim non peccaret, & famuli excusarentur à ieiunio. Ita

habet

habet Palud. 4. d. 14. quæst. 4. art. 1. Gabr. 4. d. 16. q. 3. art. 1. notabili 4.

Secundus casus, patres familias, villici, curam domus habentes, & alij domini debent curam gerere filiorum, famulorum, & aliorum, qui domi sunt, ita quod si ministrant eis cœnam, vel cibos, quibus ieiunium soluant, mortaliter peccent: cooperantur enim aliorum peccato. Et in hoc multa solet esse apud multos negligentia: non enim debet eis ministrare arma malitiæ vlllo modo. Ita habet Gabr. q. 3. allegata.

Tertius est casus, ex eodem Gabr. quæst. 3. art. 3. dub. 6. Caupones, & qui paratas habent mensas aut tabulas prandendi, peccant mortaliter ministrando cibos prohibitos ijs. qui non possunt comedere, & ministrando cibum, quo alij soluant ieiunium, peccant, & mortaliter in eo solo, quod parati sunt omnibus dare cibum, licet ipsi ieiunium seruent: non enim licet ministrare, nisi ijs, qui non teneantur ieiunare, vel, quos ipsi probabiliter credunt à ieiunio excusari: cæteris verò tantum debet prandium conueniens ieiunio ministrari.

Quartus est eorum, qui cum ipsi non ieiunent, vel quia nolunt, vel quia excusantur, inuitant alios ad cœnandum, vt faciant soluere ieiunium, quod aliter non soluerent; hi enim causa peccati sunt, & consequenter peccant.

Quintus est, eorum qui nolunt conducere operarios, nisi soluant ieiunium, quamuis si aliqua vrgeret necessitas, vt illi multum laborarent, posset hoc ab illis exigi, sed debet esse communis utilitas, aut ad vitandum graue damnum aliquod. Vnum tandem dubium occurrit in materia de ieiunio: an quando aliquis peruenit ad locum, in quo ieiunatur tali die, in quo non ieiunatur in loco, à quo profectus est, teneatur ieiunare & abstinere à cibis prohibitis, respondet Syluest. verb. ieiunium, in fine cum distinctione: cum enim illuc peruenit commemorandi causa, tenetur obseruare tale præceptum;

cum verò non, sed animo remeandi, vel vltius transeundi, non tenetur, si citra scandalum id potest
facere.

De secundo precepto audiendi sacrum.

CAPVT VI.

HOc preceptum habetur, de consecrat. dist. 1. can. missas. Oportet prauiderere quid est sacrum, seu missam audire.

In primis non est audire sacrum, intelligere, & intellectu percipere quæ in missa dicuntur: non enim rustici missam audirent. Rursus, non est auribus voces percipere, surdi enim tunc audire sacrum non possent, nec ij, qui longè à sacerdote celebrante distant, quos tamen certum est implere preceptum. Rursus, non est videre ea, quæ in missa aguntur: nam caeci tunc non possent implere preceptum, quos tamen implere certum est, vnde, potest aliquis clausis, ne diuagentur oculis missam audire. Rursus, non est aliquo vti sensu erga ea, quæ in missa aguntur: solent enim aliqui, dum hostia eleuatur, manum eleuare contra hostiam, & propriam faciem ter tangere, solumque aliæ huiusmodi ceremoniæ fieri, in quarum nulla consistit audire sacrum. Est ergo audire sacrum corpore adesse, & mente attendere: nam domi aliquis existens, non potest audire sacrum, quod fit in Ecclesia. Dico, mente attendere: nam non audit sacrum, qui præsens est corpore, sed dormit, dum dicitur sacrum. Opus est ergo aduertere, vt dicatur mentaliter esse præsens rei quæ fit. Ista autem mentis aduertentia ad hunc modum intelligenda est, quod homo ita attendat vt non diuageretur affectata diuagatione: cum enim aliquis venit audire sacrum, & postea raptus alijs cogitationibus parum aut nihil aduertit, dicitur quidem preceptum missam audiendi implere, nec tenetur audire aliam, dummodo non sit affectata diuagatio & inaduertentia. Tunc autem talis est, quando homo aduertens se diuagari, voluit diuagari, nulla inq; fecit diligentiam vt attenderet; aut quando cogit facere opus, quod ex se diuagationem habet annexam: vt qui cum audit sacrum, vellet scribere, pingere, aut studere, vel quid simile facere, illi censentur affectatam habere inaduertentiam, nec audiunt sacrum. Dubium hic occurrit, an, dum quis audit missam de precepto, possit recitare horas canonicas, quas tenetur ex officio recitare aut dicere coronam ex deuotione, aut ex iniuncta pœnitentia. Angel. ver. feria. §. 46. dixit id fieri non posse, sed contrarium est tenendum: dummodo quis attendat, sal-

tem

tem virtualiter, se adesse missæ, & esse coram altari, satisfacit præcepto; cum qua attentione potest simul recitare, præsertim quia ista ad vnum & eundem finem ordinantur; puta, Deum ipsum, & mentis eleuationem in ipsum. Ita habet Adrian. tract. de satisfact. quæst. 7. & Medina tract. 2. de pœnitentia iniuncta, & Caietan. verb. dies festus, & Nauarr. cap. vigesimoprimum, num. nono. Consilium tamen esset, si attenderet potius mysteria missæ, aut attenderet saltem ad ea quæ dicuntur in Euangelio & epistola: qui tamen ista non potest præstare, vel quia ignorans est, vel quia non potest attendere, sed statim diuagatur, nisi recitet, adhuc melius est recitare.

Qua missa, quo loco, & quanta sit audienda.

CAPVT VII.

Missa non eodem modo celebratur, sed aliqua est particularis, aliqua solennis, quæ voce alta decantatur, & dicitur missa maior. Aliqua est de requiem, aliqua de feria, aliqua de sancto, aliqua ex deuotione. Nullus tenetur certam missam audire ex præcepto, sed potest satisfacere præcepto, si audiat missam de requiem in die dominico: solum enim obligatio est audire missam, siue priuata, siue solennis, siue de feria sit, siue non. Ita habet Anton. 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 1. Tabien. ver. missa. nu. 48. & est communis doctrina, licet aliqui contradicant, sed non sunt audiendi. Consilium est utile, curare audire sacrum tempori accommodatum, præsertim etiam solennes missas & maiores in dieb. solennibus, & magnæ festiuitatis, sed non est hoc præceptum. Rursus, non est obligatio audiendi eam in parochia propria: satisficit enim præcepto, quamuis domi, & extra Ecclesiam audiatur, aut in Ecclesia audiatur aliena, vt dicit Sylu. ver. Missa. 2. §. 5. & Tabien. v. missa. §. 1. quamuis non desinat qui contradicant. Verum est, quod peccaret, qui ex contemptu propriam dimitteret parochiam, aut si ex dimissione scandalum sequeretur, aut quando in parochia declarantur aliqua, & traduntur, quæ debet omnis parochus scire: tunc enim peccaret, dimittendo. Credo tamen, quod semper impletet præceptum audiendi sacrum per
missam

missam quouis loco auditam: sunt a tamen monendi, exhortandi que omnes, vt suas parochias frequentent, maxime diebus solennibus; & Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. post can. 9. ita monet.

At de quantitate missæ dubium est, quanta sit audienda. Secundum communem opinionem sufficit vna: nullus enim tenetur plures audire; immò, nec in die Natalis Domini, quando quilibet sacerdos ter celebrat, sufficit enim vnam audire ad satisfactionem præcepti; vt Nauar. cap. 21. nu. 7.

Dico secundo, & omnes conueniunt esse audiendam missam, ita vt non dimittatur notabilis pars, puta, media, aut tertia pars: tunc enim non impleteretur præceptum, si talis pars amitteretur. In particulari autem Tabien §. 50. & Nauar. num. 2. dicunt, quòd si dimitteret vsq; ad Epistolam inclusiue, tunc non impleteretur præceptum, quia est notabilis pars; quamuis, si dimitteretur totum, quod est ante Epistolam, adhuc posset impleri præceptum: & ego ita credo, quamuis non desint, qui dicant, posse & Epistolam dimitti; sed non est securum, nisi ex necessaria causa id prouenerit. Hic tamen aduertendum est, quòd si, qui inseruiunt sacro aliquando coguntur partem missæ non audire, vt ferant ea, quæ necessaria sunt sacro, puta, cum discedunt, vt adferant thus, vinum, hostiam, vel quid simile, non reputantur abesse, sed illis computatur illud, ac si audiissent. Ita habet Anton. 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 1. Syl. ver. missa, 2. §. 1. & Tabien. ver. missa, §. 50.

Dico tertio, aliqui volunt, quòd si quis mediam missam audiret ab vno sacerdote, & residuum ab aliquo alio, quòd satisfaceret præcepto; nam missam integram audiuit: ita tenet Maior. dist. 45. quæst. 2. Nauar. cap. 11. num. 2. Idem Soto 4. distinctio. 13. quæst. articul. 1. & mihi probabile videtur; quamuis, si aliquis id fecisset, si tempus esset, quo vacaret audire sacrum vnum aliud vnius, monerem & consulerem: nam profecto non est visus audire missam integram, sed duas medietates duarum missarum, quæ inter se non faciunt integritatem. cap. Missas de consecr. d. 1. præcipitur exp-

ctari benedictionem, vide Pan. cap.

vt laici de vita &
hon. cler.

*A quo, & quando, & qua obligatione sit missa
audienda.*

CAPVT VIII.

Non à quouis missa est audienda. Cauere enim debemus audire missam à Sacerdote nominatim excommunicato, suspenso, aut interdicto, & à publico clerici percussore, & à concubinario notorio & denunciato, vt dicit Sylu. ver. missa, 2. §. 3. aliorum verò missas, licet excommunicati sint à iure, vel ab homine, dum non sint nominati, possumus audire, non enim tenemur ab omni excommunicato fugere, vt diximus in lib. 1. in materia de excommunicatione. Similiter etiam degradati, aut depositi missam non possumus audire, sicut nec possumus audire à nominatim excommunicato. Tempus autem obligationis solum est in diebus dominicis & festis de præcepto. In alijs diebus non tenemur, licet sint dies Quadragesimæ, nec contra hoc probat cap. solent, de consecr. d. 1. & cap. fin. de priu. in 6. vbi videtur contrarium dici ista enim capita, vt dicit Tabie. v. missa, §. 45. sunt de consilio intelligenda; nam cap. fin. loquitur de Episcopis; cap. verò solent, de omnibus, in diebus tamen quadragesimæ, & neutrum obligat sub præcepto. Est enim consilium vtilissimum quotidie audire, aut saltem quoties homo commodè potest: obligatio autem est præcepti obligantis ad mortale: qui enim non audiret sacrum, quo tempore tenetur, mortaliter peccaret, secundum omnes, sicut peccat, qui ieiunium non seruat. Obligat autem hoc præceptum omnes habentes vsum rationis, cuiuscumq; sint ætatis, sexus, & conditionis.

Qua causa excuset ab audiendo sacro.

CAPVT IX.

Multi sunt casus, in quibus homo excusatur ab isto præcepto Ecclesiastico; omnes tamen possunt reduci ad quinque causas, ex quibus quinque regulæ generales possunt desumi.

Prima causa est, ad vitandum damnum spirituale, proprium, aut alienum; vnde est regula: quoties ex sacro audiendo sequi

tur damnum seu detrimentum spirituale, puta, peccatum proprium aut proximi, non teneretur homo audire sacrum. Per hanc causam & regulam excusantur excommunicatus, interdictus nominatim, & interdictus generaliter, non habens priuilegium aut diploma, vt audire possit: tunc enim non excusatur, vt dicit Nauar. c. 21. nu. 4. Similiter qui iuramento se adstrinxit non egressum domo, in qua, loco carceris tenetur: hi non tenentur audire; quia si audiant, peccant, quia obligati sunt, aut impediti alia via. Similiter mater quæ timet filios suos, si domo egrediatur, ad vitandum damnum filiarum spirituale, potest manere domi, licet non audiat sacrum, dum sit periculum probabile talis damni. Huiusmodi possunt occurrere alij multi casus.

Secunda causa est; ad euitandum damnum aliquod corporis notabile: vnde est regula: Quoties sequitur, aut timetur damnum corporeum aliquod notabile, aut alicuius momenti, tunc non obligatur homo audire sacrum. Per hanc causam excusantur infirmi, qui absq; detrimento non possunt à lecto surgere & ambulare. Excusantur etiam qui inseruiunt infirmis, & non possunt audire, nisi ipsos solos deserant. Similiter matres, quæ habent domi paruulos, nec possunt relinquere absq; periculo probabili alicuius damni. Similiter qui faciunt iter cum alijs, nec possunt audire sacrum, nisi perdant locos, vnde detrimentum patiuntur, quia vel viam nesciunt, vel timeant latrones. Similiter, qui habent inimicos, nec possunt exire domo securi. Similiter mancipia & serui, qui timeant verbera & iniurias à dominis, si deserant domum, quantum domini non excusentur à peccato, non concedendo istis tempus audiendi sacrum, cum absq; damno notabili possunt. Similiter vxor quæ timet rixas & percussione à marito, vel non potest necessaria domi preparare ad victum, si domo egrediatur. Omnes hi excusantur, quia damnum corporum contrahunt, si sacrum audiant.

Tertia causa est, ad euitandum damnum honoris: vnde regula est: Quoties non potest quis absq; læsione honoris, aut famæ propriæ vel alienæ audire sacrum non tenetur. Per hanc causam excusantur, quibus non sunt vestes conuenientes suæ personæ, vt domo possint exire. Rursus, filia nobiles, quæ non possunt ita facile egredi domo, sed timetur infamia aliqua, quamuis non excusentur, cum egrediuntur ad choreas, & festa vana: tum enim non videntur habere causam, cur non egrediuntur

diantur

diantur ad audiendam missam, vt dicit Tabien. §. 46. quamuis si non permittantur à matribus, excusentur, licet matres peccent, nisi rationabili causa faciant. Excusantur etiam viduæ, quæ, certo tempore post obitum coniugis, solent domi clausæ manere. Tabiena §. 46. dicit licere hoc saltem per mensem; tamen Nauar. nu. 4. dicit melius, licere etiam per annum, dum talis sit loci consuetudo; ita vt citra infamiam non liceat egredi: nec in hoc est limitatum tempus, nisi iuxta consuetudinem loci, quamuis istæ consuetudines debeant corrigi per Episcopos. Qui tamen vltra consuetudinem loci maneret, & prætermitteret sacrum, peccaret mortaliter.

Quarta causa est, cum timetur damnum rei propriæ, aut proximi, tunc ea est regula. Quoties aliquis in re propria, vel proximi detrimentum patitur, excusatur.

Per hanc excusantur, qui custodiunt arces aut carceres, nec possunt dimittere absq; detrimento. Rursus, qui serua negotia ex officio, vt consiliarij, & alij huiusmodi tractant, nec possunt differre absque detrimento. Rursus, qui custodiunt aut seruant in agris oves, armenta, vineas, & alia huiusmodi, nec possunt sine detrimento deserere. Rursus, qui non possunt suas negotiationes perficere sine detrimento, nisi iter faciant; vnde sacrum audire non possunt. Rursus, qui timent latrones, si domum sine custodia deserant. Rursus famuli, qui non possunt alios inuenire patronos, & ab his, quos habent, non datur tempus audiendi sacrum; quamuis in hoc peccent patroni, quando sine detrimento possunt tempus concedere famulis audiendi missam, & non concedunt: famuli vero tenentur ipsos deserere, si continuò non detur eis tempus tale.

Quòd si id non sit continuò, sed aliquando non tenentur, nec peccant obediendo. Quòd si non possunt facile inuenire alios, quibus seruiant, adhuc non tenentur, licet non audiant sacrum, dum modo patroni non faciant id in fidei contemptum: tunc enim nullo modo eis esset acquiescendum: quia est contra ius diuinum.

Vltima causa est, impotentia: per quam incarcerationati, & qui iter longum, siue per terram, siue per mare faciunt, tamē non inueniunt loca, in quibus celebretur: nec tenentur audire missam, si eant in mari. Similiter, qui non habent copiam sacerdotum, qui celebrent, & alij huiusmodi excusantur. In omnibus his casibus notandum est, quòd quamuis aliquando de

facto non sit vera causa excusans, tamen aliquis putat bona fi-
de esse veram & sufficientem causam, non peccat mortaliter,
sicut etiam diximus de ieiunio.

*Quomodo audiendum sacrum, & quavtilitas
ex auditione.*

CAPVT X.

Qui cum fructu & vtilitate sacrum audire nititur, debet
sic dispositus accedere. Primò opus est fide, qua credat,
in sacramento, quod in missa adoratur, & sumitur, ve-
rè, realiter, ac præsentialiter Christum esse totum. Rursus, in
ipsa missa verè offerri à sacerdote iuge sacrificium Deo Patri
acceptissimum. Opus est etiam, vt cum dilectione accedat: in
missa enim celebratur, & representatur ipsa passio Christi,
quæ fuit vnum ex summis beneficijs à Christo Domino nobis
collatis, propter quod, homo in ipsius amorè & dilectio-
nem perpetuò deberet rapi: cumq; in missa memoriale tanti
beneficij celebretur, ipsumq; memoriale sit magnum, quoddam
beneficium ingrati animi est, accedere sine amore & dilectio-
ne; quod vnum solent præstare, qui gratias referre non pos-
sunt, nec etiam pares agere. Opus etiam est, cum reuerentia ac-
cedere, non solum interiori, qua homo ipsum Christum &
& Dominum, & Deum recognoscat, seque infirmum & indi-
gnum tanto beneficio iudicet, sed & exterius, quæ in modestia
& decentia corporis consistit: in quo reprobatus est abusus
multorum, qui vno genu flexo adstant, & qui oculos huic illic
immodestè vertunt; & aliquando inter se colloquantur, quod
coram terrenis Dominis, qui nihil sunt respectu suam Dei
facere nefas esset.

Istam autem reuerentiam homo multis de causis debet ex-
hibere.

Primò, quia adstat coram Christo Domino, cui om-
ne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum debet incur-
uari.

Secundò, quia est in Angelorum consortio: adstant enim
Angeli coram Sanctissimo Sacramento, vt docent Gregor. &
Ambr. & nobiscum sunt presentes in missæ sacrificio. Quis
autem est, nisi inconsideratus homo, qui renuat cum Angelis
adesse,

adesse, & non curet, ut potest, quam ipsi exhibent reuerentiam, & ipse exhibere?

Tertiò, quia, qui audit sacrum, multa petit à Deo, unde sacerdos frequenter dicit, Oremus, & omnium nomine orationes fundit: quis autem petit aliquid impetrandum ab altero, & non se erga eum, saltem propter hoc, reuerenter gerit? Pauperiores sumus nos respectu Dei, quam sint homines mendicanti respectu diuitum: & tamen hi ob vnum obolum, quot genuflexiones & nudationes capitis facere solent.

Quartò, ratione officij, quod exhibent qui audiunt sacrum. Non putes solum sacerdotem offerre illud sacrificium Deo: offerunt enim & circumstantes, licet mediante sacerdote. Si ergo, qui vas aureum Principi offerendum portat, vasi inanimato reuerentiam quandam exhibet, dum ille manus lauat, dum se ornat; quanto maior est reuerentia exhibenda huic oblationi, quæ Christus ipsemet est, & non terreno Principi, sed Deo Principi, Omnipotentiq; Patri offertur? Hæc est dispositio audiendi sacrum, quæ cum attentione & consideratione coniuncta est; ad quam sacerdos nos exhortatur, dicendo, *Suscipite corda.* faxit Deus, ne aliqui mendaces inueniantur, respondentes, *Habemus ad Dominum.* Qui tali dispositione accedit, fructu huius sacrificij non priuatur, qui licet multiplex sit, tamen aliquot præcipuæ utilitates proponuntur.

Prima est, gratiæ augmentum: qui enim in gratia est, sacrum audiendo, gratiæ augmentum consequitur, tum quia offert, tum quia pro ipso etiam sacrum offertur.

Rursus secundo, consequitur poenæ temporalis, pro peccatis debitæ, remissionem.

Rursus tertio, quod petit facilius impetrat: nam Deo Patri oblationem acceptissimam, puta Christum, offert. Solent autem facile impetrare ab hominibus, qui dona secum ferunt ipsis offerenda, & eò facilius, quò dona gratiora sunt.

Rursus quartò, actus virtutum exercentur, & præcipuè triū, quæ sunt magni meriti. Exercentur fides, dum creditur ea, quæ in mysterijs celebrantur; exercentur charitas, dum in Christum præsentem fertur voluntas per amorem; exercentur religio per adorationem & latriam Christi in sacramento.

Rursus quintò, comparet homo in præsentia Christi, & eo, quo potest, modo, puta per fidem, præsentem videt Christum, & habet, ac impetrat, quod impetrarèt, si videret, si debito

modo petat: vnde cæcus, qui ex turba prætereunte cognouit Christum, nõ minùs obtinuit, quod petijt, ac si vidisset: hoc puto dat magnam pacem animæ, & gaudium spirituale, dum homo videt saltem vbi Christus continetur, potestq; dici de huiusmodi audientibus sacrum: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videris.* Quòd si illi non possunt videre oculo corporeo, id poterit dici: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

De tertio præcepto Ecclesia.

C A P V T XI.

Peccata tua sacerdoti proprio, aut alteri cum eius facultate, singulis annis confiteor. Tertium præceptum est, confessio. Et quia multa diximus in libro 3. pauca modo attingemus.

Primum est, præcepto confessionis, omnes habentes vsuram rationis, cuiuscumque ætatis, sexus, & conditionis sint, obligari sub peccato mortali, vt habetur e. omnis vtriusq; sexus, de pœnit. & remiss. Hoc autem præceptum non obligat, nisi ad confitendum omnia mortalia, quæ homo memoria consequi potest. Venialia non sunt de necessitate confessionis, quamuis vtile & sanctum cõsiliu sit, confiteri ea, præsertim quando mortalia desunt. Obligatio hæc est, semel in anno confitendi, adeò quòd, qui confessus iam est in Natali, aut alio anni tempore non teneatur confiteri in Quadragesima, nisi velit communicare: tunc enim, si post confessionem præcedentem mortaliter peccauit, iterum debet confiteri. Quòd si non mortaliter peccauit, aut non debet sumere Eucharistiam, non tenetur; quamuis propter scandalum, si aliquando sequitur, præsertim si communicare vult, teneatur accedere ad confessionem, & confiteri venialia, aut dicere se non habere materiã necessariam confessionis. Aliquando autem tenetur homo statim post mortale confiteri.

Primò, quando est mortis articulus, aut periculum mortis; vt, qui intrat mare, bellum; aut mulier, quæ est prope partum.

Secundò, quando probabiliter credit, quòd nisi tunc confiteatur, non habebit illo anno copiam sacerdotum, seu Confessariorum.

Ter-

Tertiò, quando vult sumere Eucharistiam, & est conscius mortalis peccati.

Quartò, quando vouit, aut in iniuncta pœnitentia habet, pluries, & statutis temporibus in anno confiteri. Extra hos casus solum tenetur semel in anno: & quamuis non sit tempus determinatum, tamen propter communionem consuetudo obtinet, vt fiat in Quadragesima, non tamen obligat eum, qui alias est confessus, nec iterum mortaliter peccauit, vt diximus. Ista autem confessio est cum Confessario proprio facienda. Vocamus autem proprium in presenti, vnum ex tribus, aut qui ex officio habet facultatem absoluedi, vt Prælatus, & Parochus, aut commissione superioris Episcopi, aut Pontificis, qualem habent multi religiosi, aut ex facultate pœnitenti cõcessa: multi enim pœnitentes per priuilegia, aut diplomata, seu bullas, possunt sibi eligere Confessarios proprios, quocumque modo sit proprius, satis est ad audiendas confessiones. Plura hic dici poterant de confessione, sed vide quæ dicta sunt libro tertio. Nunc autem, quòd vile sit frequenter confiteri in anno, immò in mense, ostendam ex multis notandis vtilitatibus quæ proueniunt ex hoc, inter quas aliquot recensabo.

Prima est gratiæ augmentum: quoties enim homo confitetur, si debito modo accedat, si in peccato est, consequitur gratiam & peccati remissionem; si autem est in gratia, consequitur augmentum gratiæ. Vnde, si quater in mense confitetur, quater etiam augetur gratia, & si pluries confitetur, pluries augetur gratia. Quanti autem valoris sit gratia, vix potest cognosci, hoc tamen est certum, eligibiliorem esse minimum gradum gratiæ, quàm possidere perpetuò vniuersum orbem, & in altero mundo datur maior gloria essentialis, duratura in æternum, ei, qui in hoc mundo maiorem habet gratiam.

Secunda vtilitas est, remissio pœnæ temporalis: quoties enim homo confitetur, ei remittitur pars pœnæ peccati soluendæ in purgatorio. Si autem quis consideret, quàm acerba sit pœna purgatorii, suam profecto damnabit negligentiam, & ad hoc sacramentum pluries accedet: hoc enim certum est, nullam in hoc mundo a quouis crudelissimo tyranno posse pœnam corporalem infligi, quæ adæquet minimam, quam anima patitur in Purgatorio.

Tertia est, inimicus debilitatur: Dæmon enim multum in-

surgit contra hominem, dum peccata secum recondita habet, nec med. co spirituali aperit, iuxta illud: *Quoniam taci iniecerunt ossa mea.* At cum homo ad confessionem confugit, timet Demon, nec audet accedere ei, qui omnes eius suggestiones Confessario manifestat. Caro etiam multum succumbit spiritui, propter augmentum gratiæ quod habet anima ex frequenti confessione.

Quarta utilitas est, peccatum non ita fortiter radicitur in anima. Hoc dico propter aliquos, qui frequenter solent in mortale aliquod prolabi; & quamvis modo confitentur, iterum solent in idem peccatum recidere ex aliqua fragilitate. Istis profectò frequens confessio hoc præstat, quòd illud peccatum semel commissum, nisi pœnitentia & confessione deleteretur, ad eò frequenti, fortius animæ in hæreret, alijsq; superuenientibus, in habitum quendam difficillimum postea ad expellendum, transiret: at confessio ista impedit radicationem & emendationem facilius & citius consequitur. Unde legimus de illo, qui duas ollas luto plenas habuit, vnam singulis diebus mundabat, & iterum luto implebat, alteram multo tempore præterea reliquit; postea, cum ab hac lutum extrahere vellet, vix potuit, nisi ollam rumpere.

Quinta utilitas est: nam, cum ex frequenti confessione pluries sit in gratia, plura bona opera facit in gratia; & licet postea peccet, tamen, cum iterum redit ad gratiam, illi restituuntur bona illa opera, quæ per peccatum mortificata erant. At opera in peccato facta, numquam sunt meritoria vitæ æternæ, licet homo ad gratiam redeat. Quòd si est in gratia semper, cum illi augeatur gratia per confessionem, eadem opera bona sunt magis meritoria, quæ non essent, si in tanta gratia homo non esset.

Sexta, minus est expositus periculo, qui sæpè confitetur: nam, si sæpè peccat, sæpè est in gratia: facilius autem est mori in gratia ei, qui sæpè eam habet, quam ei, qui raro.

Septima est, homo suam melius scrutatur conscientiam: isti enim qui semel in anno confitentur, vix tertiam partem peccatorum confitentur.

Octava, liberatur homo à graui fastidio & timore: qui enim raro confitentur, cum tempus confitendi aduenit, dolores parturientis sibi pati videntur, & magna angustia & timore semper procrastinant, vsque in diem vltimum Quadragesimæ; & quod peius est, aliquando negligunt præceptum Ec-

clesiæ:

eleſtæ: & quod adhuc peſſimum, in mortis articulo ad eam magna hac anguſtia premuntur, ut aliquando deſperent.

Ultima eſt, qui in gratia eſt, conſerua ut multum in ea per confeſſiones frequentes: homo enim eſt magis illuminatus, ut ſe cognoſcat, & ea, quæ nocent animæ, intelligat. Multa alia bona frequens confeſſio homini affert, ſed iſta enarraſſe ſufficiat. Hęc & alia experietur, qui conſilium hoc opere compleuerit.

De quarto præcepto, quid ſit Euchariftia.

CAPVT XII.

Quartum præceptum Eccleſiæ, eſt præceptum communionis, puta ſumptionis Euchariftiæ. Eſt ergo breuiter conſiderandum, quid ſit Euchariftia. Videtur autem ſic poſſe deſcribi, *ſpecies ſenſibiles panis, & vini, & corpus, & ſanguinem Chriſti ſignificantes, & realiter continentes.* In qua deſcriptione ſunt tres partes.

Prima eſt, *ſpecies ſenſibiles panis & vini.* Vocamus ſpecies, accidentia ipſa, quæ erant panis, & vini, nempe quantitatem, odorem, ſaporem, colorem, quæ omnia ſenſu percipiuntur.

Secunda pars eſt, *corpus, & ſanguinem Chriſti ſignificantes*: iſta enim accidentia ſunt ſigna quædam; corporis quidem Chriſti, ipſæ ſpecies panis; ſanguinis autem, ipſæ ſpecies vini ſigna ſunt.

Tertia pars eſt, *realiter continentes.* Non enim illæ ſpecies habent ſignificare tantum corpus & ſanguinem, ſed verè continent ipſa: ſub ſpeciebus enim panis realiter Chriſti corpus eſt; ſub ſpeciebus vini, realiter ſanguis Chriſti eſt. Totum ergo hoc, nimirum ſpecies prædictæ, corpus & ſanguinem Chriſti continentes, & ſignificantes, dicitur ſacramentum Euchariftiæ. *ivx xp̄i* autem, idem eſt Græcè, quod Latinè gratiarum actio. Hoc autem ſacramentum dicitur Euchariftia, quia eſt unum grande & inſigne beneficium, propter quod Chriſto Domino perpetuas gratias agere debemus. Eſt autem notandum, quod in hoc ſacramento, Catholicus debet ſecundum fidem has quatuor veritates recipere, quæ habentur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 13.

Prima eſt, ſub illis ſpeciebus, non eſſe poſt conſecrationem,

nem panis aut vini substantiam, sed omnino conuersa est in Christi corpus & sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus.

Secunda est, sub eisdem speciebus verè & realiter esse corpus & sanguinem Christi.

Tertia est, sub vtraq; specie, & sub altera tantùm esse totum Christum: verbi gratia, sub speciebus panis esse totum Christum, nempe corpus & animam vnitam diuinitati. Similiter totum Christum esse sub speciebus vini. Dices, si totus Christus est sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini, quare dicitur communiter, quòd species panis continet corpus, species vini continet sanguinem? Respondeo quòdam exemplo. Cùm tu vocas famulum tuum, aut amicum, hic autem venit coram te, clarum est, amicum esse coram te, & non solum ipsum, sed ipsius vestimenta; nam vestitus venit: si ergo petam à te, tu vocasti amicum, quomodo & hic sunt vestes: respondebis, ex vi verbi mei, quo vocaui, solus amicus adest, & qui ipse vestitus erat, ratione coniunctionis vestimentorum, nam sunt hic vestes. Eodem ergo modo intelligas, sub speciebus panis est tantùm corpus Christi, ex virtute verborum consecrationis, quæ erat, *hoc est corpus meum*; at quia corpus est cum anima & diuinitate, fit, vt ratione concomitantæ totus sit Christus. Similiter sub speciebus vini ex vi verborum sanguis est: dicitur enim, *hic est calix sanguinis*; tamen quia sanguis est cum corpore, & corpus cū anima, & hæc diuinitati vnita sunt, sunt & ista omnia sub illis speciebus. Quando ergo audis, sub speciebus panis esse corpus, sub vini, esse sanguinem, intellige, ex vi significationis, tamen ratione concomitantæ, totus Christus est sub altera specie.

Quarta est, illa accidentia panis & vini per se sunt, nec subsistunt in corpore Christi, sicut sustentantur in pane. In his quatuor veritatibus, præcipuè innititur ratio huius sacramenti.

Quare instituta est Eucharistia.

CAPVT XIII.

Sacramentum hoc à Christo Domino in vltima cœna institutum est, in hos quatuor præcipuos vsus.
Primus, vt esset memoriale quoddam mortis & passio-

nis

nis eius. Representat autem optimè hoc sacramentum mortem & passionem Christi: in hoc enim, quod species panis ex vi significationis representant & continent corpus, vt à sanguine separatum: & species vini continent, & representant sanguinem à corpore separatum, mors non quæcumque, sed quæ per passionem significatur, representatur. Est autem representatio maxima: nam ipsamet quæ representantur, seu significantur, sunt præsentia, puta, corpus & sanguis.

Secundus, fuit institutum in argumentum maximi & feruentissimi amoris Christi erga nos: discessurus enim ad Patrè ex hoc mundo, seipsum in pignus amoris reliquit.

Tertius, fuit etiam institutum in cibum spirituale: vt enim corpus cibo naturali indiget, vt in vita sua sustentetur, ita anima indiget cibo spirituali, vt in vita gratiæ conseruetur & augeatur. Hic cibus est ipsemet Christus Dominus sub speciebus panis & vini nobis datus.

Quartus, fuit institutum in sacrificium Religionis Christianæ: voluit enim Dominus nos habere sacrificium, quod Deo in remissionem peccatorum offerremus. Hoc autem noluit esse tauros vel vitulos, vel alia huiusmodi, sed quod ipse obtulit, hoc idem voluit nos offerre. Ipse autem seipsum obtulit in cruce per passionem & mortem, & nobis etiam ipsum reliquit offerendum, sub panis tamen & vini specie. Vide quantum excedat hoc nostrum sacrificium omnia legis veteris sacrificia: in qua creatura, in nostra autem creator offertur. Hæc est oblatio munda, quam Deus Zach. i. dicebat sibi ab ortu solis ad occasum, id est, in toto mundo offerendam. Omnia hæc quatuor in vno hoc sacramento venerabili simul continentur, & coniunguntur, vt sit passionis memoriale; amoris argumentum & pignus; cibus spiritualis; & sacrificium mundum.

De fructibus sumptionis Eucharistiæ.

CAPVT XIV.

Multiplex est fructus, qui ex hoc prouenit sacramento. Primus est, viuificare. Iuxta illud Ioann. 6. *qui manducat me, & ipse viuit propter me.* Dat ergo vitā, quæ est per gratiā: vnde quoties homo sine conscientia mortalis peccati accedit, probabiliter, & rationabiliter putans se esse in

gratia, licet verè non fit, per hoc sacramentum consequitur primam gratiam, & mortalis peccati remissionem; vt dicit S. Tho. 3. p. q. 79. art. 1.

Secundus est, nutrire: sicut enim cibus corporalis nutrit corpus, augendo substantiam & reparando quod deperditum est: sic etiam sacramentum gratiæ dat augmentum, & quod deperditum est ex feruore per venialia, reparat, & renouat.

Tertius est, confortare. Anima enim forti fit, & vigorem quendam acquirit, & vt tentationes vincat, & vt mundi calamitates, & corporis labores fortius ferat, sicut corpus cibo fortificatur.

Quartus est, perseverare: in gratia enim suscepta conseruat hominem, & à peccatis futuris præseruat: sæpe enim homo in peccata laberetur, à quibus virtute cibi huius liberatur.

Quintus est, satiare. Anima enim Dei capax non impletur creaturis; ob id, sæpe est in appetitu homo, & ignorat quid appetat. Rursus, habet appetitus, modo horum, modo illorum, hoc sacramentum animam satiat.

Sextus est, lætificare. Dat enim pacem, & gaudium animo. O quoties homo tristatur, & patitur melancholias, & angustias, ob res creatas, quæ expellerentur communionem sanctissimam, si ad eam non accederet?

Septimus est, sedare: vt enim dicit Cyrillus lib. 4. sup. Ioan. cap. 17. sacramentum hoc sedat sæuientem membrorum legem, & animi perturbationes extinguit.

Octauus, copulare & vnire. Vnit enim hominem cum Christo, & ipsos homines concordia quadam inter se conglutinat: nam multum valet Sacramentum hoc ad pacificandos animos inter se discordes.

Nonus est, inflammare. Accendit enim deuotionem ad charitatem erga Deum, & hominem facit feruere.

Vltimus est, perducere, puta, ad gloriam. Dat enim in via ista desiderium mirabile status illius beati, quem speramus, & illuc transportat corda, vt à terrenis homo separatus *vere dicat*

ibi nostra fixa sunt corda, vbi vera sunt gaudia. Hos, & plures fructus Eucharistia facit in animabus fidelium, qui debite ad ipsam accedere student, & satagunt.

*Qualis debeat esse suscepturus Euchari-
stiam.*

CAPVT XV.

Multa debet habere ille, qui competenter ad Euchari-
stiaē susceptionem accedere debet.

Primò, debet esse baptizatus: nulli enim ante ba-
ptismum, etiam habenti fidem, & gratiam, qualis est cathecum-
enus, ministranda est Eucharistia, nisi post baptismum; imò
nec debet ullus non baptizatus permitti videre sacramentum
hoc, sed eiciendus est, vt habet S. Thomas, 3. p. quæst. 79. art. 1.
Potest autem ista conditio, cum alijs sequentibus, memoriae
causa, reduci ad duo carmina hæc,

Lotus, discretus, sanus, ieiunus, & aptus.

Contritus, fassus, mundus, recteque paratus.

Lotus, id est baptizatus debet esse, iam de hoc diximus.

Discretus. Debet habere iudicium rationis: vnde pueris ante
annos discretionis non debet dari Eucharistia. Rursus, non
quælibet discretio, & ratio sufficit, sed quæ sit mediocriter ap-
ta ad cognoscendum cibi huius qualitatem. Tamen secundum
Alexan. 4. p. quæst. 49. membr. 5. Palud. dist. 9. q. 4. Sylu. ver. Eu-
charist. 3. §. non debet dari, nisi pueris iam 10. aut 12. annum
agentibus; nisi in aliquo citius vigeat multum ratio, quod
Confessariorum iudicio relinquatur: quamuis non requiratur
tantus vsus rationis ad confessionem: sufficit enim annum
septimum superasse, in quo frequenter tempore vsus rationis
lucescere incipit, & homo peccare potest. Rursus, neque amen-
tibus, sicut neque pueris danda est Eucharistia, si amentes sunt
à natiuitate, vt habet S. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 9. Quòd si non
sunt à natiuitate, sed aliquando habuerunt iudicium rationis,
si, dum ipsum habebant, petierunt sacramentum hoc, aut pœ-
nitentes fuerunt, danda est eis Eucharistia in mortis articulo,
vt ibidem dicit S. Thom. & idem habetur 16. q. 6. c. si quis. Ta-
men phreneticis in mortis articulo ministranda est Euchari-
stia, si ante phrenesin confessi sunt, aut contriti apparuerunt,
aut petierunt eam, nisi sint furiosi, ita vt timeatur irreuerentia
aliqua sacramento inferenda.

Sanus: etiam debet esse sanus, qui suscepturus est Euchari-
stiam, non tamen quæcumque infirmitas prohibet susceptio-

nem Eucharistiæ illa, ex qua irreuerentia sacramenti timetur; vt, cum infirmus patitur frequentes vomitus, aut nullum, vt probabiliter timeatur expulsio Eucharistiæ; tunc enim nõ est ipsi ministranda.

Ieiunus. Debet etiam esse ieiunus, qui sumpturus est Eucharistiã, non solum à cibo, sed à potu, & medicina, vt fit ieiunium naturæ: qui enim aliquid horum sumpsit, nisi sit infirmus, ita vt timeatur mors, nõ debet suscipere Eucharistiã. Nec soluitur hoc ieiunium per hoc, quod aliquando, dum aliquis lauat os, aliquid parum humoris decidit per guttur, aut cum micæ, vel particulæ cibi, quæ manent inter dentes eccena antecedenti, deglutiuntur: hæc enim per modum salutarum sumuntur, nec solvunt tale ieiunium, vt dicit Sanctus Thomas loco citato. artic. 8. Hoc autem ieiunium incipit à media nocte diei antecedentis: vnde, si quis post mediam noctem aliquid sumpsit, quamuis dormierit postea, non potest communicare illa die: si tamen ante mediam noctem sumpsit, potest communicare, licet tota nocte non dormierit, nec cibum sit digestus, vt ibidem docet Sanctus Thomas. Infirmis per modum viatici confertur, etiam non ieiunis; & in eadem infirmitate potest sæpè conferri, etiam non ieiunis, si per aliquot dies pericula mortis euadant, sacro tunc peracto post præcedens viaticum Ita habet Tabiena verb. communicare, §. 48. & Armill. v. communio. §. 18.

Aptus. Debet is, qui suscepturus est sacrosanctam Eucharistiã, esse aptus subiectum. Fit autem ineptus per excommunicationem, vel interdictum: nam, qui excommunicatus est, quacumque excommunicatione, aut interdictus, peccat accedendo ad Eucharistiã, quia impeditus, & ineptus est propter censuram ecclesiasticam.

De alijs conditionibus suscipientis Eucharistiã.

C A P V T XVI.

Aliæ etiam sunt conditiones suscipientis Eucharistiã, quæ secundo carmine continentur.

Quarum prima est, *contritus*: nullus enim debet accedere ad communicandum cum conscientia peccati mortalis.

qui

qui enim existimat se esse in peccato mortali, & accedit communioni, licet verè non sit in peccato mortali, peccat mortaliter; & si habebat gratiam, perdit eam: nam ratione conscientie malè contemnit sacramentum. Rursus, si in peccato est, debet accedere contritus, & cum pœnitentia peccati: non quòd opus sit vera contritione, sed quòd saltem homo probabiliter putet, se esse contritum, & se non esse in mortali: qui sic accedit, non solum non peccat accedendo, sed consequitur peccati remissionem, vt S. Tho. dicit 3. p. q. 79. art. 1. & 2. At verò, qui mortaliter peccauit, & nulla præparatione facta, accedit, siue recorderetur peccati, siue non, mortaliter peccat, secundum omnes.

Confessus, seu *fassus*, quod idem est. Non satis est contritio in eo, qui mortaliter peccauit, ad accedendum communioni, sed opus est præmittere confessionem sacramentalem: nam qui accedit post peccatum mortale, seu post conscientiam mortalis ad Eucharistiam, licet sit contritus, si non est confessus, mortaliter peccat. Hoc est contra Caiet. ver. communicatio, & Armill. ver. communicatio, §. 1. qui dixerunt, sufficere contritionem, quamuis possit homo confiteri, & sit copia Confessarium. Sed hæc opinio iam non potest sustineri, quia oppositum statuit Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. & can. 11. vbi excommunicat lata sententia talem opinionem docentes, prædicantes, asserentes, & defendentes. Est ergo necessaria confessio. Excipit vnum casum ipsum Concilium, cum non est copia Confessarij: tunc enim posset homo accedere cum sola contritione; dum tamen, cum primùm habuerit copiam Confessarium, confiteatur, quæ exceptio, secundum Doctores, intelligitur, cum necessitas adest communionis. Vnde in his casibus potest hoc contingere.

Primus est, cum vrget articulus mortis, tunc si sacerdos solus esset in templo, quod vndique comburitur, nec spes esset salutis, licet esset in peccato, seu conscientiam haberet peccati, posset per contritionem se disponere, & accedere ad Sacramentum, & communicare, idemque in similibus casibus mortis fiet, si absit sacerdos.

Secundus, cum est necessitas exequendi officium diuinum: v. g. est Parochus, qui habet conscientiam mortalis, tamen nõ habet præsentem Confessarium, & si expectet, populus priuabitur sacro in die aliquo solenni, tunc potest celebrare cù contritione, & post, Confessarium adire, cum copia fuerit.

Ter-

Tertius est, cum aliquis contrahit infamiam, si non communicet: v.g. aliquis est monachus, qui habet referuarum casum Prouinciali absentis, tunc tamen occurrit dies solennis, in quo omnes comunicant monachi, si iste desit, infamiam contrahit, potest cum contritione accedere.

Quartus est, cum est necessitas præcepti: v.g. occurrit dies, in quo tenetur communicare de præcepto, nec habet Confessarium, cui aliquem casum referuatum communicet, tunc cum contritione potest accedere. Sed Soto 4. d. 18. art. 4. limitat hoc, cum scandalum, aut infamia sequitur, si non communicat; alias debet seruare præceptum præmittendi confessionem; quod fortius est, cum sit diuinum, quam illo die comunicare, quod est ecclesiasticum.

Quintus est, cum est in actu communionis: vt sacerdos, qui post sacram incaptum recordatur peccati debet continuare cum contritione. Similiter laicus, qui iam est ad altare, vt comunicetur, nõ debet se separare, si alicuius peccati recordatur, sed communicare, & postea confiteri, vt dicunt Soto loco allegato, & Ledesm 4. q. 21. art. 4. In his casibus reputatur esse inopia Confessarij, & in alijs his similibus. Extra hos præmittenda est confessio.

Mundus, debet etiam suscepturus Eucharistiam accedere mundus, id est, non pollutus: qui enim illa antecedente nocte passus est pollutionem, non debet accedere die illo ad communionem. Tamen, vt hoc percipiatur, aduerte pollutionem posse esse triplicem.

Aliqua est peccatum mortale, cum fit in vigilia, aut in somnis, tamen homo procurauit illam, vescendo cibis hac intentione, vel alia mala causa; & tunc, si ante communionem homo poeniteat, & confiteatur, non est peccatum mortale accedens; quamuis sit veniale, nisi aliqua deuotio magna, aut aliqua causa necessaria excuset.

Aliqua est veniale peccatum, vt, cum ex negligentia aliqua veniali se polluit in somnis, aut in vigilia, sed contra voluntatem, licet homo aliquam delectatiunculam imperfectam habeat. & tunc nulla est culpa accedere; sed melius est non accedere, nisi sit aliqua causa rationalis, puta, cum homo deuotionem habet celebrandi quotidie, aut illo die comunicandi, aut est dies præcepti, aut quid simile, tunc enim melius facit communicando.

Aliqua

Aliqua est sine omni peccato, vt actus coniugalis, & pollutio nocturna, non præcedente causa culpabili, & tunc non impedit communio, nec est aliqua necessitas, nec causa potest differri communio, nec est aliqua necessitas, nec causa particularis, vt illo die fiat communio, melius est differre. Debent tamen coniugati abstinere, ex decentia, aliquo tempore ante communionem, & ita consulitur, de consecrat. omnis homo, vt tribus, quatuor, aut octo diebus abstineant. Ita est intelligenda ista conditio. Vide Petrum de Palud. dist. 9. quæst. 3.

Recteque paratus. Hæc est vltima conditio suscepturi, vt conuenienter accedat, & totum fructum percipiat Eucharistiæ, vt sit recte paratus. Quando Sacerdos extra Missam sumit Eucharistiæ, debet esse cum stola, vt habetur can. Ecclesiasticam 13. Hæc præparatio, vltra dicta, consistit in tribus.

Primò in fide: debet enim accedere cū fide, qua credat huius mysterij excellentiam, & discernat cibum hunc spirituales à cibis communibus.

Secundò, in iudicio, vt conscientiam examinet, etiam venialium peccatorum, licet non sit necessarium; &, vt, mundetur à macula, etiam veniali, si fieri possit, antequam accedat. Saltem doleat de omni culpa, & imperfectione sua.

Tertiò, cum reuerentia, & amore accedat; & reuerentia, quia Christum sumpturus accedit; amore, quia summum ab eo recepturus beneficium venit: &, quantum fieri poterit, non diuagetur, sed actualiter consideret; licet, si aliquando diuagatur, non priuentur gratia habituali, quæ in sacramento datur, vt dicit S. Thom. 3. p. quæst. 79. artic. 8. Ex his sequitur, cum isti, qui capite damnantur, omnes has condiciones habere possint, quod non est, cur Eucharistia priuentur, & optimè fieret, si in locis, in quibus hoc non fit, deinceps fieret: nam in antiquis canonibus, hoc habetur præceptum, vt patet 13. quæst. 2. can.

quæsitum, & cap. super eo, de hæret. in 6.

De ad-

De administrante Eucharistiam.

CAPVT XVII.

Minister Eucharistiæ, qui alios est communicaturus, debet esse sacerdos, vt habetur can. peruenit, de consec. d. 2. quamuis, ex necessitate, possit ministrare diaconus de licentia Curati, si adsit, & absque ea, si non adsit, vt habetur, d. 93. can. diaconos. Nec sufficit, quòd sit sacerdos, sed debet esse Curatus, & habens iurisdictionem super illum, quæ communicat, aut de licentia Curati, vel habentis iurisdictionem: alias non potest communicare, etiam extra tempus præcepti; & si religiosus est, incurrit excommunicationem papalem latam Clement. Religiosi, de priuilegijs. Iam tamen nonnulli religiosi habent à Papa hanc facultatem, vt Dominici, & Franciscani à Leone: nostra etiam Societas IESV habet similem facultatem: tamen in die Paschæ debet quisque communicare in sua parochia, nisi licentiam habeat Curati: & facultates concessæ procedunt de alijs communionibus extra diem hunc.

Minister autem in multis potest delinquere.

Primò, si ministrat Eucharistiam sub vtraque specie, in locis, in quibus non dispensauit summus Pontifex: hoc est prohibitum in Concil. Constantiensi sess. 13. sub pena excommunicationis.

Secundò, si ministret Eucharistiam infantibus, ante usum rationis.

Tertiò, si ministret amentibus, extra mortis articulum, nec his tunc ministrare debet, nisi habuerint aliquando iudicium rationis, vt superius dictum est.

Quartò, si ministret infirmis, in quibus est probabile periculum vomitus, aut irreuerentiæ, vt superius dictum est.

Quintò, si ministret excommunicatis, etiam minori excommunicatione, scienter: si vero ignoranter facit, excusatur à peccato, nisi ignorantia sit crassa, quando nulla præmittitur diligentia, & timetur, an, qui accedit, sit excommunicatus.

Sextò, si ministret publicis peccatoribus, ante poenitentiam publicam, & manifestam; vt, publicis concubinarijs, usurarijs, histrionibus, & similibus: his enim neganda est Eucharistia,

nisi

nisi pœniteant, & sit nota pœnitentia, vt notum est crimen: ita prohibetur de consecr. distinct. 2. cap. pro dilectione: quamuis occultè possit eis dari Eucharistia, post pœnitentiam fecerit, sed non publicè. Occultis verò peccatoribus, si in publico petant, danda est eis Eucharistia, vt habet S. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. exemplo Domini, qui suum corpus Iudæ occulto peccatori non negauit coram alijs: at verò, si in occulto petant, communis est sententia, quòd debet eis negari. Ita tenet Alexan. 4. p. q. 49. mem. 1. & Duran. dist. 9. q. 5. S. Thom. dist. 9. art. 5. quæst. 1. & licet aliqui aliter sentiant, securior est opinio communis.

Septimò, peccat etiam minister, si sua culpabili negligentia infirmus decedit è vita sine communione: vbi abusus quorundam est reprehendendus, qui infirmo satis esse putant, si ei corpus Domini ostendatur adorandum: in quo errant; debent enim manducandum dare, nisi causa legitima excuset; vt, quia vomitus timetur, aut deglutire non potest: semper enim sacramentum disposito dat gradum gratiæ ex opere operato, citra deuotionem receptionis, quo priuatur, qui realiter sacramentum non accipit.

De obligatione communionis.

CAPVT XVIII.

Præceptum hoc communionis obligat sub peccato mortali: habetur autem hoc præceptum cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. Obligat autem semel in anno, & in die Paschæ, nisi Confessarius aliter expedire iudicauerit. Per diem Paschæ, declarauit Eugenius in bulla, cuius meminit Syluest. Eucharistia 3. §. 15. à die Iouis Sancti in diem octauum post Pascha. Iam consuetudo obrinet ferè vbique, vt incipiat à die Palmarum, & in aliquibus locis per totam Quadragesimam. Aduertendum tamen, hoc præceptum in duobus differre, à præcepto confessionis. Primum est, quòd hoc communionis præceptum debet statuto tempore impleri, adeo quòd, si quis sæpè intra annum communicet, tenetur tamen communicare in die Paschæ ad sensum expositum: at verò, qui semel in anno confitetur quocumq; anni tempore, nò amplius illo anno tenetur cõfiteri, nisi postea morra

liter

liter peccet, & velit communicari. Tunc ratione communionis præmittenda est confessio. In hoc omnes conveniunt.

Alterum est, qui tempore statuto non communicat, peccat quidem, sed iam non tenetur communicare pro illo anno. sicut, qui non audiuit sacrum in die Dominico, non tenetur audire die lunæ; neque, qui solvit diem ieiunij ex præcepto, tenetur alio die ieiunare; sed peccat, nisi iusta excusetur causa. Ita dicit Anton. par. 2. tit. 9. § 3. & Sylvest. verbo Eucharistia 3. § 13. Tabien. verbo communicare, §. 7. Medina qu. de confessione. Soto 4. dist. 18. q. 1. art. 4. quamvis Navar. cap. 21. sum. num. 46. contrarium teneat. At verò, qui non est confessus toto vno anno, semper obligatus manet confiteri; & peccat de nouo, quoties occurrit commoda confitendi occasio. Ita habent Soto, & Medina locis citatis: licet Sylue. loco citato, & An. o. 3. tit. 14. c. 19. § 3. teneant idem esse de confessione dicendum; sed contrarium est probabilius, vt alias probauimus, 3. p. q. 80. art. 11. At verò præter hoc tempus, est aliud etiam obligans, puta, in infirmitate, quando timetur probabiliter mors, qui dicitur mortis articulus: tunc enim obligatur communicare, vt habetur, 26. q. 6. de ijs, ex Concilio Nicen. vbi dicitur, legem antiquam esse, communicare in mortis articulo, & ita habet consuetudo Ecclesiæ, quamvis Palud. d. 9. quæst. 1. dicat, si paulo ante communicauit, non obligari sub mortali, iterum communicare; & probabile hoc est.

De frequentia communicandi.

CAPVT XIX.

PLura dixit de hac materia super 3. p. S. Thom. q. 80. art. 11. At verò, eorum breuis resolutio in aliquibus his conclusionibus consistit.

Prima, nullus de præcepto, & sub mortali tenetur communicare, vltra tempus prædictum in capite præcedenti. Olim quidem frequentior præcipiebatur communicatio, præsertim in anno, vt habetur de consecr. d. 2. c. & si non frequentius, in Paschate, Pentecoste, & Natali; at modo præceptum est, semel in anno, prædicto tempore communicandi.

Secunda, laudabilis, & multum utilis est cōmuniō frequentior, & magis assidua.

Hoc

Hoc primò probatur ex eo, quòd Eucharistia instituta est in cibum spiritualem: cibus autem frequens debet esse.

Secundò, quia est continua indigentia, datur enim Eucharistia in venialium remissionem, quæ feruorem charitatis remittunt, & in præseruationem à mortali peccato: homo autè frequenter incidit in venialia, & continuò indiget præseruari à peccato, & in gratia recepta conseruari.

Tertiò ex fructu multiplici, qui prouenit ex communione, de quo suprà diximus. Hoc tamen præcipuè debet inducere homines ad frequentiam, quòd experimur multos varijs peccatis, & grauissimis irretitos, ex frequenti communione sic esse ad dominum conuersos, vt non peccasse videantur.

Tertia, non eadem frequentia omnibus est consulenda, præsertim laicis: sunt enim quidam, qui non multum pollent cognitione, & discretione, qua sacramenti dignitatem penetrant, vt rustici, & serui, & alij huiusmodi: & his sufficeret singulis mensibus semel communicare, donec magis à Deo per donum intellectus, & sapientiæ illuminarentur. Alij magis callent, sed cura domus, & familiæ, & negotijs secularibus occupati, non possunt ita mentem habere à cogitationibus terrenis alienaram; & his sufficeret singulis quindenis communicare. Alij, licèt occupati negotijs, non tamen tantum distrahuntur, vt scholastici, & alij etiam coniugati; & his esset expediens singulis communicare dominicis. Frequentior communio non est in vniuersali consulenda, sed remittendum hoc est ad iudiciū Confessariorū; qui interius & exterius considerabūt diligenter, quid in particulari cuique sit magis expediens. De communionis frequentia, est singularis canon. August. de consecrat. dist. 2. quotidie communicare, nec laudo, nec vitupero; at singulis dominicis communicare, suadeo, & vehementer exhortor.

De Decimis.

CAPVT XX.

Vltimum Ecclesiæ præceptum est, de solutione decimarum, quòd habetur cap. tua nobis, de decimis. Et in alijs canonibus. Vide S. Thom. 2. 2. q. 87. & Summistas ver. decima.

In cuius declarationem, aduerte primò ex *Leuit. 23.* quòd Dominus, ex duodecim tribubus, quibus continebatur totus populus Iudaicus, elegit vnam, puta, *Leuiticam*, ex qua sibi ministros faceret: & quia hi occupati diuino ministerio, non poterant vacare agriculturæ, præcepit alijs tribubus, vt ex his fructibus terre, quos colligerent, singuli darent decimam partem in sustentationem huius tribus, quæ occupata erat diuino ministerio in templo; & hæc quota dicebatur decima. Quod præceptum fuit iudiciale, & cessauit cum illa lege: tamen quia in noua lege sunt etiam ministri diuino cultui intenti, Pontifices instituerunt, vt eadem decimæ soluerentur in sustentationem ministrorum. Vnde aduerte, quòd totum decimarum, partim est de iure diuino; nimirum, quantum ad hoc, quòd alantur ministri, & alij ipsos sustentent; immo est de iure naturæ: dignus est enim operarius mercede sua. Tamen, quantum ad quotam partem, quòd sit decima, non octaua, aut vndecima, aut alia, hoc est de iure positivo ecclesiastico in noua lege; in antiqua enim erat de iure diuino: nam Deus assignauit, tantam partem esse contribuendam.

Aduerte secundo, tres esse species decimarum: quarum sunt prædiales, quæ proueniunt ex terræ fructibus, oleo, frumento, vino, & alijs huiusmodi: & has solum soluebant Iudæi: Quædam sunt personales, quæ soluuntur ex fructibus, quos homo facit sua industria, vt ex venatione, negotiatione, & alijs actibus: Quædam sunt mixtæ, quæ partem ex vno, partem ex altero habent: vt decimæ ex foctura animalium, quæ ex terra pascuntur, & tamen industria humana opus est. Et hæc soluuntur in lege noua, licet non omnes in omnibus locis.

Aduerte tertio, obligari hominem sub peccato mortali soluere decimas, secundum omnes Doctores; tamen hoc intelligendum est, vt dicit *Caëtan. verb. decima*, vbi est consuetudo soluendi, debent solui, & tenet *Syluest. verb. decima, §. 9.* quòd decimæ debentur ex fructibus, non deductis expensis, nec his, quæ homo seminauit, vel apposuit, sed ex eo toto, quòd homo colligit, decima est soluenda: Vbi verò non est consuetudo soluendi, non tenetur homo soluere, dummodo Parochus habeat suam sustentationem; alias tenentur parochiani ipsum alere. Vbi etiam est consuetudo soluendi, non tenetur homo soluere, si is, cui debentur, remittat. In multis locis, præteritum

Italia

Italia, non est consuetudo soluendi. Aliqui dicunt, quia à principio fuit extracta decima. Quicquid sit, in his locis non obligantur homines soluere: & breuiter dicendo, consuetudo seruanda est, etiam de quòta, donec aliud per maiores disponatur.

Aduerte quartò, ex Clem. cupientes, de pœnis, quòd est excommunicatio lata contra eos, qui in concione aliquid dicunt hac intentione, vt auertant animos fidelium à solutione decimarum; sed hæc excommunicatio non est contra omnes Concionatores, sed contra solos religiosos, & ipso facto incurritur; non tamen est Papæ referuata, sed potest ab Episcopo absolui. Hæc pauca de decimis sufficiant, plura non puto Confessario necessaria esse.

De indulgentijs. Quid sit indulgentia.

CAPVT XXI.

Post completam materiam de penitentia, quam per multos libros, & capita digessimus, sequitur materia quædam multum ipsi annexa, puta, de indulgentijs: nam pœna, quæ sæpè per penitentiam non aufertur, per indulgentiam relaxatur. Primum ergo discutiendum est, quid sit indulgentia: videtur autem sic posse describi; est *remissio pœnæ temporalis pro actibus peccatis debitæ, extra sacramentum facta, ex thesauri ecclesiastici dispensatione.* Pro cuius explicatione aliquot sunt notanda fundamenta.

Primum est, homo pro peccato incurrit culpam, & reatum pœnæ; quamuis non eodem modo in peccato mortali, & veniali. Explico: Cum homo peccat mortaliter, incurrit culpam, quæ consistit in hoc, quòd perdit amicitiam Dei, & contrahit inimicitiam eius; perdit amorem, & acquirit odium: incurrit etiam pœnam; nam propter hanc culpam, est obligatus pœnæ sempiternæ infernalis ignis post mortem corporalem. At cum homo venialiter peccat, quamuis sit in gratia, contrahit quandam culpam, sed multò minorem: non enim fit inimicus, neque perdit amicitiam, sed remittitur feruor amicitiae, vt non cum tanto feruore, & intensione charitatis amet, sicut amabat sine tali culpa. Demum, contrahit etiam reatum pœnæ, sed non æternæ, sed temporalis,

in hoc mundo per pœnitentiam, & satisfactionem soluendæ, vel in Purgatorio post obitum. Est ergo in peccato, tam mortali, quã veniali, tam culpa, quàm pœna. Aduerte ergo, quòd non, quoties remittitur homini culpa, remittitur etiam tota pœna, sed sæpè remittitur culpa, & pars pœnæ tantum. In primis, cum alicui remittitur peccatum mortale, tunc culpa tota deletur, & remittitur etiam pœna æterna, quantum ad hoc, quòd non manet obligatus ad æternam pœnam; tamen tamen illa pœna commutata in temporalem, in hoc mundo, aut in Purgatorio soluendam. Similiter etiam aliquando remittitur culpa venialis, non tamen tota pœna: sicut per aquam benedictam remittuntur venialia, quantum ad culpam, non tamen quantum ad totam pœnam; quamuis, quoties culpa remittitur pars pœnæ remittatur. Aliquando autem tota remittitur, vt in baptismo, in quò omnia peccata, & quantum ad culpam, & quantum ad totam pœnam remittuntur. Et similiter, cum aliquis vehementi quadam contritione, & deuotione accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, aut ad aliud sacramentum: tunc enim pro quantitate talis deuotionis, & contritionis, minuitur etiam quantitas pœnæ debitæ.

Sit secundum fundamentum; opera bona iusti hominis, & in gratia existentis duo habent, & sunt meritoria, & satisfactoria. Meritoria quidem, vitæ æternæ, & augmenti gratiæ: nam iusto, per bonâ opera eius, gratiæ augmentum datur, per quod meretur, vt post mortem maior ei detur gloria æternaliter: sunt etiam eadem opera satisfactoria pro pœnis, quæ debet pro mortalibus iam remissis, quoad culpam, & nõ quoad pœnam totam, & etiam pro venialibus. Vnde pro quantitate operum, minuitur etiam quantitas pœnæ temporalis debitæ. Est autem vnum discrimen inter meritum, & satisfactionem hanc, quòd nullus iustus potest per sua opera mereri alteri homini gratiã, sicut meretur sibi: gratia enim non datur a Deo vllis, nisi per opera ipsiusmet gratiam accepturi; quamuis iustus aliquando impetret à Deo, vt det alteri huiusmodi opera, per quæ consequatur gratiam, tamen non meretur de condigno alteri gratiam. Solus Christus Dominus est, qui omnibus nobis meruit gratiam: Gratia enim homini data, ex merito Christi est. Ob id dicitur Ioan. i. *Habit. iuit in nobis plenus gratia.* At verò vnus Iustus potest pro altero satisfacere, quoad pœnam, sicut pro se: verb. gr. si Petrus ieiunat pro Paulo, remittit Deus pœnam, quam debet Paulus, ac si ipse ieiunaret. Meri-

cum ergo non communicatur ab vno in alterum, sed sola satisfactio.

Tertium sit fundamentum. Multi sunt iusti, qui ob nulla, aut paucissima, eaque venialia peccata, quæ committunt, aut nullius, aut paucæ sunt pœnæ debitores: & in his redundat satisfactio, quia illorum bona opera sunt satisfactoria; tamen, quia non debent pœnam, satisfactione non indigent; aut non tanta satisfactione, quia maiora sunt opera, quàm pœna debita. Quòd hoc ita sit, habemus ex scriptura Iob. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior quasi arena maris, hæc grauior appareret.* Habemus etiam hoc ex capite nostro Christo, qui nullum peccatum fecit, & tamen opera ipsius satisfactoria erant pro pœnis infinitis. Habemus & ex beatissima Virgine Maria, quæ nullum habuit, neque originale peccatum, & tamen opera eius fuerunt maiora omnibus alijs operibus omnium iustorum, præter Christum. Habemus hoc ex Apostolis, ex Martyribus, & ex multis, immò ferè omnibus iustis.

Aduerte tamen, quòd quamuis ista satisfactio non profuerit ipsis, tamen nõ perijt, sed prodest nobis omnibus peccatoribus, qui satisfactione indigemus. Dices, quomodo hoc esse potest? Dico hoc fieri, quia vt habetur ad Rom. 12. *Omnes sumus vnum corpus in Christo, ipse caput est, reliqui omnes membra.* Ratione ergo vnionis, quod vnus est, alteri communicatur, cum ille non indiget, & quia etiam ratione gratiæ cognati sumus, bona aut vnus in hæredes cognationis transeunt, satisfactio autem Christi prodest, quia ipse caput est, à quo virtus solet in membra diffundi. Omnes ergo istæ satisfactiones Christi, & omnium iustorum à primo Abel, vsque ad vltimum, conseruatae sunt, & repositæ in isto corpore Ecclesiæ, vt ex ipsis fiat in indigentia membra communicatio: & tales satisfactiones dicuntur thesaurus Ecclesiæ militantis, qui quidem infinitus est; nam sola Christi satisfactio infinita fuit.

Sit quartum fundamentum. In Ecclesia est potestas dispensandi hunc thesaurum membris indigentibus: frustra enim esset thesaurus, si non esset clavis aperiens, & potestas distribuens. Hæc residet in capite, & Vicario Christi: potest hic dare, & dispensare thesaurum: Quoties ergo mihi, tibi, vel alijs dat ex hoc thesauro, vt pro nostris debitis pœnis satisfaciamus, tunc talis dispensatio dicitur indulgentia. Vnde Catholicus debet secundum fidem cõfiteri, & asserere has tres veritates.

Prima est, esse hunc thesaurum infinitam satisfactionem Christi, & Sanctorum in Ecclesia: ita determinatur in extraua. vnigenitus, à Clemente VI.

Secunda est, esse hanc potestatem in Ecclesia, dispensandi membris hunc thesaurum. Hæc determinatur à Concil. Trid. Sess. 25.

Tertia est, esse vtilis indulgentias, & prodesse fidelibus, qui conuenienter eis vtuntur: ita determinatur in Concil. Lateranen. Viennen. Basilien. Ex supradictis facile est definitionem indulgentiæ intelligere, quæ superius posita est, cuius singulæ partes in sequenti capite exponuntur.

Expositio singularum partium definitionis indulgentiæ.

CAPVT XXII.

Indulgentia dicitur remissio, quia per eam fit quædam relaxatio, & condonatio. Vnum tamen nota hic, quod multum considerandum est, in indulgentia interuenire misericordiam simul, & iustitiam quandam. Sit exemplum, et aliquis debitor, seu damnatus ad triremes, constituitur aliquis loco eius, qui talem patiatur pœnam, hic misericordia quædam est in eo, quod accipitur iste, vt pro eo soluat vram etiam iustitia quædam est: nam vera est solutio pœnæ. Similiter, cum quis est debitor centum aureorum, & ex arario publico ei dantur, vt soluat; ita in præsentia, condonatio, & misericordia est, quod huic detur pœna, & satisfactio alterius: tamen iustitia est; nam pœna soluitur: vnde sanctus Thomas, 4. sent. dist. 20. dixit, indulgentiam non esse tam remissionem, quam commutationem pœnæ, qua vnius pœna mutatur in pœnam alterius. Dicitur ergo indulgentia, remissio, condonatio, relaxatio, respectu illius, cui fit.

Rursus, in definitione dicitur, *pœnæ*, quia culpa non remittitur per indulgentiam, sed pœna debita culpæ. Sacramentum est, quod culpam tollit. Dices, si per indulgentiam non tollitur & culpa, quare in concessione indulgentiarum aliquarum dicitur, *à culpa, & pœna*? Dico, multos Doctores reprehendere istud verbum, & dicunt non esse profectum à sede Apostolica, sed ab istis Quæstuarijs; tamen non est cur ita secrete re-

prehendatur: declaratur enim ab Anton. 1. p. tit. 10. c. 3. cum aliquis accedit ad indulgentias consequendas, supponitur, quod debet deuotus, & contritus accedere; non enim profunt existentibus in mortali. Ratione ergo preparationis huius, culpa remittitur, ratione ipsius indulgentiæ, pœna. Ob id, semper ponitur in indulgentia opus aliquod bonum exequendū, quod si bene, & meritorie fiat, culpa remittitur: Ob id ergo tale verbum ponitur; non tamen, quod ipsa indulgentia, ratione sui, remittat culpam, sed tantum pœnam. Rursus, *temporalis*: non enim pœna æterna, quæ mortali debetur peccato, remittitur per indulgentiam, sed per confessionem, vel contritionem, qua ipsa remittitur culpa, *pro actualibus peccatis debita*; nam pœnæ pro originali peccato inflictæ, vt mors, morbus, & alia huiusmodi non remittuntur per indulgentias, *extra sacramentum facta*: nam sacramentum ipsum remittit etiam aliquando pœnæ partem, aut totam, non tamen dicitur indulgentia: hæc enim extra sacramentum est.

Additur tandem in definitione, *ex dispensatione Thesauri Ecclesiastici*, quia etiam per bona, quæ quisque extra sacramentum facit, consequitur remissionem pœnæ debitæ pro peccatis, non tamen dicitur indulgentia: hæc enim ex Thesaurio Ecclesiæ, vt dictum est, fit. Ex his patet, quid indulgentia sit. Nunc quare sic dicatur, considerandum est. Indulgentia apud Latinos aliquando sumitur in malam partem, pro quadam blanda permissione licentiosa culparum: vnde Valla dicit: Indulgere, est concedere obsequenter, & blandè tribuere: vnde dictum est, *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos*. Aliquando sumitur in bonam partem, pro quadam clementia, & lenitate, qua homo non exigit omnia secundum summum rigorem iustitiæ, & ad omnimodam mensuram; vnde dicit Cicero ad Atticum, *Cæsarem, pro sua indulgentia in omnes probaturum spero*. Sic Deus indulget nobis, dum non exequitur rigorem suæ iustitiæ in nos. Quia ergo rigor iustitiæ exigere videtur, vt, qui debet pœnas, soluat, cum aliena satisfactio alteri tribuitur, indulgentia quædam dicitur. Non est noua indulgentia in Ecclesia Dei, sed antiqua: habetur enim ex verbis Christi Matth. 16. *quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in celis*. Cum dicitur, *quodcumque*, omne vinculum intelligitur, tam culpæ, quam pœnæ, & Ioann. 20. *quorum remisistis peccata*. Peccatum non integrè remittitur, nisi cum & pœna aufertur: & Christus Dominus suo factò indicauit,

dum paralytico non solum peccata dimisit, sed eam a poena liberauit, & adulteram a poena capitis fecit liberam: & 2. Cor. 2. legimus Paulum remisisse aliquid poenae illi Corinthio. Huius remissionis mentio habetur, imò fit in Concil. Ancyran. 2. & Nicen. c. 11. & Chalce. act. 1. In quibus remissiones aliquot poenarum factas legimus, licet non tam amplas, ut modo sunt; quia tunc illi homines feruentiores erant in bonis operibus, & minus indigebant indulgentijs, quam nos; tamen tunc indulgentiae erant. Quae Concilia antiquissima sunt, & idem in multis alijs Concilijs inuenitur.

De modo concedendi indulgentias in communi.

CAPVT XXIII.

Post eius definitionem, nunc, quibus modis indulgentia concedatur, considerandum est. In cuius rei declarationem sunt aliquot praenotanda.

Primum est, duplex quantitas in aliqua poena consideratur, vna extensionis, quae attenditur secundum maius, aut minus tempus, quo talis poena durat. Altera intensionis, quae secundum grauitatem ipsius poenae attenditur. Potest autem esse, quod vna poena sit maior altera quantum ad extensionem, non tamen quantum ad intensionem.

Hoc supposito; aduerte, poenam Purgatorij esse maiorem poena huius mundi, quae pro peccatis datur, quantum ad intensionem, non tamen quantum ad extensionem: plus enim durat poenitentia pro vno peccato in hoc mundo, quam in altero; tamen non est tam acerba poena, idque merito: nam in isto mundo homo debet esse alijs intentus, & vacare operibus necessarijs ad vitam, hoc non posset praestare, si poena vnus anni esset vna hebdomada subeunda: tunc enim deberet esse intensa multum, & homo vix posset alteri operi attendere.

Secundò, quia homo debet conseruare vitam temporalem corporis, cui multum nocet poena multum intensa.

Tertiò, quia homo debet omni tempore bona operari, ad quod inducitur magis per poenitentiam extensioem. In Purgatorio verò, non sic, sed poena debet esse grauior, & acerbior,

quia

quia locus est satisfaciendi, in quo diuina iustitia exercetur. Debet etiam esse breuior, ne animæ iam Deo inseparabiliter adhærentes diuino aspectu multo priuentur tempore.

Secundò notandum est, olim in pœnitentiæ foro dari solitas pœnas graues pro vno mortali peccato: hoc enim commune erat, vt pro vno simplici mortali infligerentur septem anni pro pœnitentia, aliquando verò plures duodecim, secundum grauitatem peccati. Cuius rei aliquot sunt exempla in Conciil Eliberitano c. 5. pro homicidio casuali infligebantur quinque anni; pro voluntario verò, quia erat mortale, septem. & in c. 64. pro adulterio infligebatur pœna decem annorum: & in synodo Romana sub Syl. vt habetur 82. d. can. presbyter, fornicario sacerdoti infligebatur pœna decem annorum, & 30. q. 1. can. si quis sacerdos, habetur quòd rem cum filia spiritali habenti infligebatur pœna duodecim annorum peregrinationis, & post peregrinationem, perpetuo claudebatur monasterio. Huiusmodi sunt multi antiqui Canones. Circa quas pœnas notandum est, non respondere omnino tempus pœnæ purgatorij pœnis huius mundi: v. g. si quis imposita pœna decem annorum, & ea non impleta, obiret, non puniretur in Purgatorio decem annis; & ratio est, quia in purgatorio pœna est acerbior; & breuior pœna, quàm ad extensionem, æquatur alteri extensioni, sed minus intensæ. Rursus notandum est, non esse istam canonicam pœnam totam, qua homo propter peccatum dignus erat secundum Dei iustitiam; si enim taxandum esset demeritum, adhuc maior, & quoad intensiorem, & quoad extensionem pœna esset infligenda. Vnde fit, vt non semper illa pœna soluta, statim homo euolet ad cœlũ, sicut nec modò soluta pœna in confessione imposita, sed aliquid restat in Purgatorio soluendum.

Tertiò notandum est, ex S. Thom. dist. 20. & Alberto & Antonino, p. p. tit. 10. cap. 10. quòd indulgentia non solum remittit pœnam, quæ secundum canones infligitur, aut infligenda esset, & consequenter pœnam purgatorij, quæ ei responderet, sed & remittit pœnam, quæ secundum Dei iustitiam esset infligenda. Vnde cum remittitur pœna vnius peccati mortalis deleti quoad culpam per indulgentiam, tunc nulla pœna restat illius soluenda; cum autem remittitur pœna omnium, tunc omninò liber est homo ab omni pœna. Ista autem pœna computatur secundum dies, seu tempus huius sæculi. Ex quo intel-

liges rationem, quare in indulgentijs aliquando concedantur mille, & plures anni indulgentiarum: nam remittitur pœna, pro qua homo deberet satisfacere per mille annos pœnitentiæ in hoc mundo. Nec mireris tantam summam annorum; nam multi plura peccata mortalia mille commiserunt, & secundum canones deberent septem millia annorum in pœnitentia transigere: & si essent secundum iustitiam Dei pœnæ infligendæ; adhuc plures essent; quamvis in Purgatorio non sit ista pœna soluenda tam extensa, sed in maxima parte conuertenda in intensiorem. totum hoc deletur per indulgentiam.

Quartò, notandum est cum communi sententia contra Caiet. quod cum absolutè conceditur indulgentia, non opponendo illam particulam, *de iniunctis*, tunc valet quantum ad remissionem pœnarum, quæ in confessione nobis iniunguntur à Confessario, & quæ etiam essent iniungendæ, vel in confessione, vel in Dei iusto iudicio, & modò sub tali forma conceduntur. Ex hoc sequitur vnum illud, nimirum, quòd per indulgentias concessas satisfacit homo pœnis impostis in confessione; vt, si confessarius imposuit ei disciplinam, ieiunium, elemosynam, vel similia aliqua opera exercenda, si indulgentiam consequatur, non tenetur illas subire pœnas, ut habet Anton. loco citato, Sylu. Armill. ver. indulgentia. Duran. dist. 20. quæst. 4. & ita omnes sentiunt. Tamen optimum consilium est, illas implere pœnitentias: & quamvis multæ huius sint causæ, hæc vna est præcipua: nam per illa opera homo consequitur augmentum gratiæ; per solam verò indulgentiam pœnæ remissio fit: plus autem valet vnus gradus gratiæ, quam magna pœnæ remissio.

De modis particularibus indulgentiarum.

CAPVT XXIV.

HIs suppositis, facile erit modos plures, quibus indulgentiæ conceduntur intelligere. Hi autem sunt sex.

Primus est, cum conceditur indulgentia plenaria, & tunc remittitur pœna peccatorum mortalium remissorum, & venialium; ita vt nec vlla in hoc mundo, nec in Purgatorio maneat soluenda pro illis, si debite sit homo consecutus indulgentiam. Aliqui ponunt differentiam inter plenam, & plen-

tiorem.

niorem, & plenissimam indulgentiam; inter quos est Palud. d. 20. q. 4. sed communiter nulla ponitur differentia in re.

Secundus modus est, cum conceditur limitata indulgentia tertiæ, aut quartæ partis peccatorum, & nihil amplius; & tunc intelligitur de pœna debita pro tanta parte peccatorum mortaliū, & venialium, quanta signatur in indulgentia.

Tertius, cum conceditur limitata indulgentia temporis, ut mille annorum, aut bis mille, aut plurium, aut pauciorum; & tunc remittitur pœna illa, quæ remitteretur, si homo illo tempore toto pœniteret, secundum canones, aut secundum Dei iustitiam pœnitentia taxata, & consequenter pœna purgatorij ei respondens.

Quartus modus est, cum conceditur indulgentia annorum aut temporis alicuius, cum numero quarentenarum. In cuius gratiam nota, istas quarentenas esse dierum, nec debere computari extra tempus annorum concessorum; & si conceduntur viginti anni, & decem quarentenæ, istæ quarentenæ sunt etiam in illis viginti annis. Scito enim, cum olim pro peccato in stige batur pœna septem, aut plurium annorum, non in his æqualis erat subeunda pœna; sed erant certi dies, in quibus ærior multo pœna dabatur, & hi dies intelliguntur per quarentenas: v. g. d. 82. can. presb. imponitur sacerdoti fornicario pœnitentia decem annorum, sed ætior in tribus mensibus primis, ut nimirū remotus à quacumq; conuersatione, pane tantum vescatur, & aquam puram bibat, & in diebus festis paruis pisciculis, & leguminibus, & modico utatur vino, reliquo tempore non tam ætæta erat pœnitentia. Huiusmodi ergo ætiores pœnæ dicebantur quarentenæ; modo autem remittitur per indulgentiam pœna purgatorij, quæ remitteretur, si hominem faceret pœnitentiam.

Quintus modus est, cum conceditur indulgentia tot annorum, & aliquando plenaria, & adiungitur cum tertia parte peccatorum, vel quarta parte, & aliquando à tota pœna & culpa, & tunc per culpam, seu tantam partem peccatorum possumus intelligere venialia ipsa. In cuius gratiam, nota vnum ex Palud. d. 20. q. 4. & Anton. i. p. tit. 10. c. 3. §. 1. per opus ipsum, quod in indulgentia ab homine exhibetur, nimirum, per *Pater noster*, aut eleemosynam, aut quid simile, cum ipsa indulgentia remitti venialia omnia aut tantam partem signatam; quod opus per se non poterat facere tantam remissionem: Ecclesia enim habet potestatem instituendi sacramentale in remissionem venia-

lium

lium culpārum; vnde sicut deuotio, quæ adhibetur in sumptione aquæ benedictæ, aut benedictionis Episcopalis, remittit venialia, ratione ipsius sacramentalis, ita & de indulgentia. Et hæc est optima declaratio profecto huius modi concedendi indulgentias, quòd numquam sedes Apostolica vteretur, nisi aliquid verum contineret.

Vltimus modus est, cum conceditur indulgentia Iubilæi. Et quidem ista indulgentia non differt per se à plenaria à culpa, & à poena, nisi in adiuncto; quia frequenter in Iubilæo conceditur facultas absoluedi à reseruatis casibus, & commuendi vota multa; olim non concedebatur nisi rarissime. Bonifacius extrauag. antiquorum; qui videtur fuisse primus, qui concessit indulgentias plenarias, concessit hoc Iubilæum centesimo quoque anno visitantibus urbem Romanam, ob reuerentiam sedis, quæ in ea est, & vt fideles in fide confirmarentur, & in charitate accenderentur visitantes Martyrum sepulchra: postea Clem. 6. in extrauag. vnigenitus, transtulit in quinquagesimum quemque annum. Postea Paulus II. in vigesimum quintum quemque; & sic manet: Nomen Iubilæi venit ab Hebræo nomine יובל, quod significat cornu arietis: solebant enim Iudæi in signum liberationis alicuius sonare hoc cornu, quia Dominus liberauit Isaac offerendo arietem, quem Abraham sacrificauit loco Isaac. Vnde Leu. 25. in anno illo quinquagesimo, quo tanta liberatio fiebat, tunc enim vacabat terra à labore, tunc possessiones venditæ redibant ad Dominos suos; tunc serui ex filijs Israel liberi erant, solebant vti sonitu cornu huius: ob id, ille annus dicebatur Iubilæi; & sic apud nos, ob tantam remissionem spirituales indulgentiarum dicitur, Iubilæum, id est, remissio, sumpta significatione seu analogia à prædicta causa.

Quis possit indulgentias concedere.

CAPVT XXV.

Indulgentias concedere possunt Pontifices, Concilium generale, Episcopus, & Legati Pontificis, sed cum triplici discrimine.

Primum est, Pontifex, & generale Concilium possunt indulgentias concedere, etiam plenarias, & sic concessit Concl.

Lare.

Lateranen. indulgen. plenariam; similiter quorumcumq; annorum: at verò Episcopi, Legati, & Archiepiscopi tantū quadraginta dierum, & in dedicatione Ecclesiæ, vnius anni: ita habetur cap. cum ex eo. & cap. nostro, de pœnit. & remiss. vbi restringitur Episcopo, & Archiepiscopo potestas ista dandi indulgentias. Felin. autem in tract. de indulgentijs, idem dicit esse iudicium de Legato.

Secundum est, quòd Pontifex & Concilium possunt perpetuas concedere indulgentias: at verò reliqui temporales solum præter Legatum, qui potest suas indulgentias perpetuas facere. cap. fin. de offic. deleg.

Tertium est, quòd Pontifex in toto mundo concedere potest indulgentias: at verò Episcopi in sua diœcesi, & Archiepiscopi in sua prouincia, vt habetur in alleg. cap. Legatus autem tantum in sua legatione. Hæc dicta sunt citra speciale priuilegium Pontificis: potest enim concedere alicui maiorem potestatem concedendi indulgentias. Cardinales etiam habent facultatem à Papa concedendi indulgentiam certam.

Indulgentia prodest mortuis in Purgatorio.

CAPVT XXVI.

Non solum viuis, vt statim dicemus, prodest indulgentia, sed & mortuis. Et hæc veritas fide tenenda est: si quis enim negaret, indulgentiam quidpiam prodesse existentibus in Purgatorio, esset hæreticus, tum quia obuiaret determinationi Concilij Tridentini sess. vlt. vbi hæc veritas catholica stabilitur; tum quia contradiceret vtili ritui Ecclesiæ, quæ indulgentias mortuis applicat; tum quia negaret facta multorum Pontificum, qui animabus Purgatorij indulgentias concesserunt; tum etiam contraueniret rationi ex scriptura sumptæ Machab. li. 2. ca. 4. *sanctum est, & salubre pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Si ergo bona opera fidelis boni & iusti p̄sunt mortuis, multò magis satisfactio, & opera matris Dei, Apostolorum, Martyrum, Sanctorum, quæ applicanda Ecclesiæ vt matri reliquerunt. Quo autem modo profint indulgentiæ mortuis considerandum est; circa quod dico aliqua,

Primum

Primum est, indulgentias prodesse mortuis per modum suffragij, hoc patet ex multis Pontificibus, qui modo hactenus indulgentias concesserunt. Paschalis enim I. concessit Ecclesiæ S. Praxedis indulgentias pro mortuis, per modum suffragij, qui ferè fuit primus, qui pro mortuis concessit iam quadringentis annis. Has easdem indulgentias vndecim sequentes Pontifices confirmarunt, vt habetur in Bulla S. Praxedis. Rursum, Sixtus, & Calixtus hoc modo eas concesserunt, vt refert Gabr. lect. 57. super canonem, & Leo X. in epistola ad Caeteram declarauit, viuis, per modum absolutionis, mortuis per modum suffragij prodesse: & Pius Quartus sic etiam nostro tempore voce viua declarat eas prodesse. Rursum, omnes Doctores Scholastici ferè hoc modo docent indulgentias ad mortuos peruenire.

Secundum est, secundum communem sententiam antiquorum Theologorum, dare indulgentias per modum suffragij, est liberare a pœna, applicando solum satisfactiones aliorum in pretium. Sit exemplum. Est aliquis in carcere, comprehensus a iudice ob debitum centum aureorum: aliquis amicus pro illo dat centum aureos ex thesauro publico, inuere dicitur liberare eum a carcere, sed aliter quam iudex: hic enim per modum potestatis & absolutionis iudicis liberat, amicus verò per modum adiuuantis & offerentis pretium liberationis. Sic intelligas, Pontificem per indulgentias liberare a pœna debita viuos per modum potestatis & absolutionis, quam exerceat super terram; at mortuos, per modum adiuuantis, offerendo id, quod soluere tenebantur: & hoc est per modum suffragij. Ita explicant Alex. 4 p. q. 83. membr. 5. & Bonau. d. 2. q. 5. Dicitur, & ob aliam causam dare indulgentiam mortuis per modum suffragij, quia viui pro mortuis faciunt illud opus, quod in consecutione indulgentiarum imponitur; & quia causa, pro qua datur viuis, etiam se extendit ad mortuos. Viui ergo suffragantur in opere, & in causa mortuis, quantum ad indulgentiarum consecutionem. Hic est modus suffragij, secundum communiorem Doctorum sententiam. Non tamen hinc existimes indulgentias esse incertas mortuis, quia Ecclesia applicat per modum suffragij: semper enim eas Deus acceptat, sicut etiam pro viuis: hoc enim est ex pacto diuino, seu ex merito Christi satisfactionum, & Sanctorum, quod profuit indigentibus membris. Vnde malè in hac parte loquutus est Caietanus, qui dixit esse incertas, quod profecto est contra Ecclesie

ciens dignitatem & ritum: non enim oraret, nisi cognosceret mortuis prodesse, vt expresse dicit Dion. cap. 7. de Ecclesiast. Hierarch.

Tertium est, si quis sit in peccato mortali, dum sumit pro mortuis indulgentias, faciendo id opus, per quod eis applicatur in peccato, indulgentiæ valent mortuis ipsis, qui in gratia Dei sunt, & in purgatorio detinentur. Aliqui tenent, nihil prodesse, sed mihi magis placet quod dixi, & ita Gab. sentit lect. 57. super can. Et ratio est, quia ratio satisfactionis, seu pretium poenarum, non est opus illius, qui est in peccato, sed indulgentia ipsa, & thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum. Illud autem opus particulare, per quod indulgentiæ applicantur, fit ab illo, nomine Ecclesiæ, in qua numquam deest gratia. Opus autem, cum ab aliquo fit nomine alterius, non perdit valorem, quamuis, qui facit immediate, non sit in gratia: sicut qui dat eleemosynam per seruum, qui dum dat, cum vana gloria dat, non perdit valorem, si, qui iussit, bene iusserit dandam. Ecclesia autem est, quæ constituit viuos, vt consequantur indulgentias pro mortuis: opera viuorum huiusmodi non perdunt valorem pro mortuis, licet instrumenta, per quæ fiunt, mala sint.

Quod indulgentia profit viuus.

CAPVT XXVII.

Indulgentiam in hac adhuc vita existentibus prodesse, satis aperte superius ostendimus, fide catholica esse firmiter tenendum; non tamen modo eodem, quo mortuis, sed per modum absolutionis & potestatis iudicæ, quam Papa habet in viuos, vt explicauimus; vnde, non dicuntur indulgentiæ viuus per modum suffragij concedi. Aduertendum tamen, eos, quibus suffragia profutura sunt, debere quibusdam conditionibus non carere.

Quarum prima est, quod in gratia sint: existentibus enim in mortali non profunt indulgentiæ; & ratio huius est, nam satisfactio vnus non prodest alteri, nisi quia coniunctus est ei in vno corpore mystico; quæ coniunctio fit per gratiam: in hoc autem indulgentia fundatur, vt diximus.

Secunda est, quod sit causa pia, propter quam indulgentia conceditur: non enim indulgentia concedi debet absq; causa

pia:

pia: illa autem est pia causa, quæ ad Dei honorem, vel Ecclesiæ utilitatem pertinet.

Tertia, aliquod opus particulare, per quod singulis indulgentia applicatur, vt visitatio templi, vel elemosyna, vel aliquid simile: hoc autem eatenus est necessarium, quatenus pertinet ad piam causam, propter quam datur indulgentia: non enim idem sunt, causa, & opus particulare: aliquando enim posset esse causa magna, & opus paruum; vt, si indulgentia concedatur, vt omnes orent pro vna vrgenti Ecclesiæ necessitate, tunc magna est causa, præsens necessitas Ecclesiæ; at opus posset esse paruum, puta, vnum, *Pater noster*: immo aliquando posset dari sine tali opere, sed cum sola causa; vt, si illis, qui Ecclesiam defenderunt, Pontifex simpliciter indulgentiam concederet. Quando verò imponitur opus aliquod in indulgentia, tunc implendum est; aliter homo non consequeretur indulgentiam. Dubium autem posset hic suboriri, si quis opus hoc facit in mortali, cum tamen consequenda est indulgentia, est in gratia, an obtineat indulgentiam: v.g. datur indulgentia ter ieiunantibus in hebdomada, & in dominica communicantibus, quando indulgentiam consequuntur, si quis ieiunauit in peccato, tamen pœnituit in dominica, an consequatur indulgentiam; aliqui negant, sed contrarium magis placeat mihi, quòd consequatur. Et ita tenet Ant. l.p. tit. 10. c. 3. Sylu. v. indulgen. §. 32. Sor. 4. d. 21. q. 2. art. 3. Duo tamen hic sunt notanda.

Alterum est, cum dicitur in indulgentia, confessis & contritis, non est opus confiteri statim, nisi alijs verbis exprimitur hoc in concessione, sed satis est illo anno fuisse confessum, & habere tunc contritionem cum proposito confitendi tempore debito. Ita tenet Sylu. ver. indulgentia. §. 20. Armilla ver. indulgentia, §. 18. Panor. super cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitentia, & remiss.

Alterum est, cum in Iubilæis quibusdam conceditur facultas absoluendi à casibus aliquibus reseruat, si forte qui confessus est, & oblitus est, absq; sua culpa, alicuius reseruat, postea recorderetur, potest absolui à quolibet Cōfessario proprio, ac si tale peccatum non esset reseruat, quamuis alias habuisset censuras: nam verè per illam confessionem remissum est. Confessio enim & indulgentia extendunt se, non solum ab ore confessa, sed etiam ad oblita, facta tamen mortali negligentia.

De causa

De causa indulgentiæ, seu ipsius valore.

CAPVT XXVIII.

Aliqui dubitant, an magnæ indulgentiæ concessæ pro causis paruis sint validæ, & respondent negatiuè. Inter quos sunt Adria. & Caiet. opusc. de indulgentia: dicunt enim, indulgentias magnas pro exiguis causis concessas, esse nullas: alij dicunt non esse prorsus nullas, sed valere aliquid, quantum talis causa exigit. At verò mihi videtur, per aliquot dicta esse ad hoc respondendum.

Primò, peccat ac malefacit, qui pro causa parua indulgentias largissimas concedit.

Hoc probatur prima, quia non est dominus, sed dispensator, collator indulgentiarum. Dispensatoris autem est, conuenienti causa res sibi creditas dispensare, & distribuere.

Probatur secundò, quia maiores nostri non nisi ob graues causas concedebant indulgentias, nedum magnas. Sic Gregorius concessit indulgentias in stationibus Romæ, in quibus, licet sit causa magna, non est data indulgentia plenaria, sed determinatorum annorum. Vt autem intelligas stationum originem, aduerte ex Terulliano cap. 39. Apolog. ex tempore persecutionis, Christianos solere noctu conuenire in Basilicas Martyrum, tum ad laudes Dei & orationes, tum ad precandum pro bono communi. putà, pace, Imperatore, statu Ecclesiæ, & alijs; tum ad negotia circa religionem tractandum; tum ad corrigendum fratres, qui non bene ambulabāt: postea persecutione cessante, fideles remittebātur, & negligentes iam erant in stationibus continuandis, propter quod Gregorius ad attrahendos animos fidelium, ne vacarent a diuinis laudibus, & ne à reuerentia martyrum remitterentur, adiunxit magnas indulgentias visitantibus loca. Et quamuis olim noctu solebant fideles esse in oratione, & visitare ea loca, propter peccata euenientia factum est, vt die ista fierent; mansit autem idem nomen stationis: hoc enim nomen inter alia significat, significat locum, in quo frequenter conueniri solet ad negotia aliqua tractanda. Ex hoc potest conspici, non nisi ob grauem causam indulgentias concessas esse, non quòd debeat esse æqualis causa indulgentiæ, hoc enim non est necessarium, sed quod proportionaliter sit causa magna respectu eius, propter quam dantur paruæ indulgentiæ.

D d d

Secun-

Secundum dictum est. Indulgentiæ magnæ, etiam pro peccatis
 uis causis concessæ, validæ sunt in totum. Tamen verum illud
 est, quod dici solet, indulgentiæ tantum valent, quantum so-
 nant. Quamuis ergo malè faciat qui sic eas dat, tamen dare te-
 nent. Hoc mihi persuadeo, propter auctoritatem multorum
 qui id asserunt: ita enim tenet S. Thom. 4. d. 20. q. 4. art. 3. Dur.
 Palud. ibid q. 4. Anton. 1. p. tit. 10. cap. 3. Sylu. verb. indulgentia.
 q. 3. Gloss. extrauag. antiquorum, Gabr. supplem. d. 4. q. 3. art. 1.
 Rursus hoc mihi persuadeo propter cap. cum ex eo, de pœnit.
 & remiss. vbi dicitur, per indiscretas indulgentias claves con-
 temni, & pœnitentias sacramentales eneruari. Si ergo pœni-
 tentiæ impositæ in confessione eneruantur, propter huius-
 modi indulgentias, ergo valorem habent: propterea etiam
 quia minus est inconueniens dicere potius Pontificem non
 benè facere concedendo tales indulgentias, quam asserere, se
 ipsum errare, & populum decipi. Non ergo dubitandum est, ut
 se validas, quamuis, vt benè concedantur, debeant cum causis
 rationabilibus, & proportionatis dari.

Tertium dictum est: quilibet inferior debet existimare Pon-
 tifices habere causas sufficientes in concedendis indulgentiis,
 nec debet temerè iudicare maiorum facta, licet suo ingenio
 non appareant ita magnæ rationes. Circa huiusmodi indul-
 gentias hoc notandum est. Quando aliqua harum ad certum
 tempus conceduntur, vnus non potest consequi, nisi semel;
 cum verò sunt perpetuæ, & conceditur indulgentia plenaria
 visitantibus locum aliquem, & indulgentia hæc perpetua ma-
 net, tunc obrinetur toties, quoties aliquis visitauerit. Et sic
 ait D. Tho. loco citato, est perpetua indulgentia 40. die-
 rum, visitantibus templum S. Petri Romæ, ob-
 tinetur enim toties quoties,
 etiam in vno
 die.

Laus Deo. Finis libri Sexti.